

Gerhard Thieme.

Quaestionum Comicarum ad

Periclem Pertinentium

Capita Tria.


QVAESTIONVM COMICARVM AD PERICLEM PERTINENTIVM CAPITA TRIA

(DE CRATINI DIONYSALEXANDRO ET NEMESI
DE ARISTOPHANIS ACH. V. 515/539
DE EVPOLIDIS DEMIS)

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

GERHARD THIEME
BOCKENDORFENSIS



LIPSIAE
TYPIS CAROLI MARQUART LIPSIENSIS
MCMVIII

RETTVLERVNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

LIPSIVS BETHE

LIPSIAE D. XXIX. M. FEBRVARII A. MCMVIII.

PROCANCELLARIO
STIEDA.

PATRIS CARISSIMI MANIBVS

Tabula argumenti.

Caput I. **De Cratini Dionysalexandro et Nemesi.**

Caput II. **De Aristophanis Ach. v. 515/539.**

Caput III. **De Eupolidis Demis.**

Siquis in qua re ceteros superavit omniumque in ore atque sermone est, fieri numquam potest, quin ab aliis maxime laudetur, ab aliis ei obtrectetur atque insultetur vehementissime. Ac ne Periclem quidem celeberrimum Atheniensium ducem et rei publicae administratorem illum hoc effugisse quis est, qui miretur? Ut vero summa atrocitate Peloponnesii periculosissimum illum adversarium persecuti sunt, ita ne id quidem ei contigit, ut civium odium vitaret, velut graviter tulerunt, quod patiebatur terram Atticam vastari a Lacedaemoniis primo belli Peloponnesiaci anno atque omnino siverat bellum exardescere (Thuc. II 21). Atque praeter Thucydidem apud Plutarchum in vita, quam conscripsit Periclis, multis locis cognoscimus, quantopere a suis civibus Pericli sit obtrectatum, et apud eundem hoc quoque traditum est a comicis poetis Periclem saepius vehementissime perstringi. Ac primum quidem in iis Aristophanis comoediis, quae aetatem tulerunt, invenimus locos, quibus vituperatur Pericles, ut notissimi sunt illi Acharnensium v. 524 sqq., quos apud Plutarchum quoque legimus (cap. XXX), vel Pacis v. 605 sqq. vel Nub. 858/9. Facile ex his locis cognoscitur comicos poetas saepius, si occasio erat data, vel compluribus versibus vel una voce eum accusasse eique illusisse. Neque vero hoc solum erat genus Periclis in comoedia tractandi, ut in Eupolidis Demis Periclem ipsum ab inferis excitatum in scaenam inductum esse scimus, accedit ut hic Eupolis Periclis laudator sit summus. Sed etiam totas comoedias in Periclem esse scriptas ut ante suspicati eramus, ita nunc compertum habemus, postquam inventum est in Aegypto fragmentum illud papyraceum argumenti Dionysalexandri Cratineae, cui eo maior vis est tribuenda, quod hoc primum est exemplum accuratius perspiciendae fabulae Graecae illius generis, quod nos ‚Mythenparodie' vocamus, atque id commemoratu dignissimum est nos, nisi in fine papyri una sententia adscripta esset, omnino cognituros non fuisse hac fabula aliud quid agere poetam atque ut historiam fabularem notissimam irrideret.

Iis igitur, quae secuntur, mihi propositum est accuratius exponere duas Cratini comoedias, quibus per speciem irrisi mythi illuditur Pericles, Dionysalexandrum dico et Nemesin, Aristophanis Acharnensium illos versus, quibus vituperatur ut auctor populisciti illius Megarici, Eupolidis Demos, quibus inducitur ipse et a poeta laudatur maxime.

Caput I.

De Cratini Dionysalexandro et Nemesi.

Index librorum.

Meineke, Fragmenta comicorum Graecorum, 1839/57.
von Wilamowitz, Observationes criticae in comoediam Graecam selectae, 1870.
Kock, Comicorum Atticorum fragmenta, 1880/8, cuius numeros sequor in afferendis fragmentis.
Grenfell et Hunt, The Oxyrhynchus Papyri IV, 1904 no. 663 (ediderunt D. i argumentum papyraceum adiutoribus Blassio et A. Koertio et in linguam Anglicam verterunt brevique praefatione et apparatu critico instruxerunt).
von Wilamowitz, G. G. A. 1904 p. 665 sq.
A. Koerte, Die Hypothesis z. Krtns. D., Herm. XXXIX 1904 p. 481 sqq.
M. Croiset, Le D. os de Cratine, Rev. d. études grecques XVII 1904 p. 297 sqq.
Rutherford, The date of the D.er, Cl. Review XVIII 1904 p. 440.
A. Koerte, Rh. M. LX 1905 p. 439.
Blass, Archiv f. Papyrfrschg. III 1906 p. 485 sq. Praeter Anglos A. Koerte H. et M. Croiset exhibent papyri verba.
Perdrizet, Hypothèse sur la première partie du D. de Cr., Rev. des études anciennes VII 1905 p. 109 sqq.; de quo cf. p. 10 adn. 1 et p. 29 huius diss.

§ 1.

De Dionysalexandri argumento.

Collegit A. Koerte H. p. 491 sq., quae viri docti papyro nondum reperta ex titulo et duodecim fragmentis apud antiquos scriptores traditis (Kock I p. 23 sqq.) huius fabulae Cratineae de argumento coniecerant, et exposuit omnes fere viros doctos verum non invenisse nisi Grauertium Rh. M. II 1828 p. 62, qui suspicatus est sub Paridis specie iudicium de dearum pulchritudine et quae sequebantur, ridicule exsecutum esse Dionysum. Conabor in iis, quae secuntur, restituere quantum fieri potest comoediam atque exponere, quomodo Cratinus mutaverit risus movendi causa traditam historiam fabularem, nec non demonstrare, quomodo id poeta, quod maxime eius interfuit, effecerit, ut insultaret Pericli.

Ac primum quidem apparet poetam notissimam illam fabularem historiam in usum suum convertisse, quae est de Paridis iudicio et de raptu Helenae, legimus enim in papyro haec: Dionyso in monte Ida (cf. v. 23) postquam a Iunone regnum sempiternum, a Minerva belli fortuna, a Venere summae pulchritudinis et amoris voluptates promissae sunt, hanc vicisse iudicat. Statim Lacedaemonem

profectus rapta Helena revertitur, sed iam nuntiantur, ut ulciscantur, subsecuti Achivi terram vastare. Vehementissimo terrore perculsus Dionysus se Helenamque a periculo defendere conatur. Sed detegit eos adveniens Alexander iubetque tradi Achivis neque, cum Helenam cunctantem retineat, ut uxor sit, Dionysi eum miseret, quem secuntur ad naves Satyri se non deserturos eum pollicentes. Quae hic ridentur, tractata fuisse Cypriis legimus in epitoma Procli chrestomathiae (Kinkel E G F I p. 17 sqq.), probant cum fr. 3 et 4 tum Euripides et vascula picta (cf. Georg Wentzel, Die Entführung der Helene in ‚*Ἐπιθαλάμιον,* dargebracht von Friedr. Spiro und G. Wentzel, Göttingen 1890, als Manuskript gedruckt', p. IV sqq.).

Dolemus papyri initium mutilatum esse, primis enim verbis, quae integra sunt, iam mediam in rem ducimur, dicitur enim de chori parabasi: *κ(αὶ)*[1]) *οὗτοι μ(ὲν) πρ(ὸς) τοὺς θεατάς τινα ΠΥΩΝ ΠΟΙ*^{H} *διαλέγονται.* Atque in Aristophanearum comoediarum argumentis iisdem fere verbis de parabasibus referri exposuit A. Koerte Herm. p. 493, apud quem invenis locos exscriptos. Sed mendum inest in verbis *ΠΥΩΝ ΠΟΙ*^{H}. Cum igitur constet in parabasi poetas saepius de se ipsis ipsorumque fabulis vel de prioribus et aequalibus comicis locutos esse, ut Aristophanem Equ. 498 sqq. et Nub. 518 sqq., facillime fieri potuit, ut complures viri docti suspicarentur in illis verbis obscuris latere vocem *ποιητής*. A. Koerte enim, quem secuntur Wilamowitz G. G. A. et M. Croiset, scribit *περὶ τῶν ποιητῶν,* Blass *περὶ* vel *ὑπὲρ τοῦ ποιητοῦ,* quoniam *περὶ τῶν ποιητῶν* intellegi non possit, secutus Acharnensium, Equitum, Pacis argumenta. Equidem cum Koertio censeo, si modo de poetis cogitandum est, propter litteras *ΩΝ* pluralem scribendum, quoniam sic minus recedamus a papyro (scripsit enim librarius pro *Π'ΤΩΝ*: *ΠΥΩΝ*) et, si Dionysalexandri parabasis Equitum similis fuit, de qua dicitur in argumento I: *περί τε τοῦ ποιητοῦ τινα καὶ τῶν προγόνων,* fortasse scribere licuerit *περὶ τῶν ποιητῶν,* etsi satis incerta esset oratio.

Neque vero omnino ulla fere mutatione opus esse sagacissime cognovit Rutherford, qui splendidissime hunc locum emendasse mihi videtur posito post priorem *Π* litteram compendii signo atque distinctis verbis *Π'* et *ΥΩΝ,* ut legatur *π(ερὶ) ὑῶν ποιή(σεως)*: „on the question how men may get themselves sons". Quae si ita sint, sequi Cratini Dionysalexandrum doctam, cum de reddendo legitimo Pericle minore natu aut agebatur aut actum erat. Impetravit enim Pericles erepto pestilentia utroque filio legitimo, ut is, quem habebat ex Aspasia peregrina, legitimus redderetur (Plut. Per. XXXVII; Busolt, Gr. Gesch.

---

[1]) Circumdedi cum Anglis uncis rotundis, quae in papyro per compendia scripta sunt, angulatis, quae supplenda erant.

III 1 p. 508). Antea vero ipse legem pertulerat, ut ii soli civitate uterentur, quorum et pater et mater Atheniensis esset (cf. Lipsius, Att. Recht II p. 412 sqq.). Atque de sensu verborum περὶ ὑῶν ποιήσεως I. H. Lipsius praeceptor iuris Attici peritissimus ille haec mecum liberalissime communicavit: „ποιεῖσθαί τινα etiam non adiecta voce ὑόν, quae raro adiciatur, esse ‚facere aliquem filium, qui non est natura (γόνῳ vel φύσει)‘. Quod apud Athenienses effici non potuisse nisi adoptione; ποιητός igitur esse, qui adoptione factus sit filius, et patrem, qui adoptaverit, ipsum quoque appellari ποιητὸς πατήρ (Lys. in Agor. XIII 91). Ott. Muelleri sententiam (Unters. z. Gesch. d. att. Bürger- und Eherechts, Jb. f. cl. Ph. Suppl. XXV 1899 p. 712), qui velit ποιεῖσθαι esse agnoscere, vel eo refutari, quod Isaeus pro Euphil. XII saepius eodem sensu dicat εἰςποιεῖσθαι, neque demonstrari ullo eorum locorum, quos afferat. Quod Mantitheus in orationibus in Boeotum (Demosth. XXXIX, [XL]) habitis de agnoscendis a Mantia Boeoto et Pamphilo semper adhibeat vocem ποιεῖσθαι, id explicandum esse odio et ira, nolle enim Mantitheum concedere esse illos patris filios. Adoptandi quidem sensum alienum esse a Mantithei animo, cui obversetur universus is sensus, quem apud Cratinum fuisse pateat ex argumento Dionysalexandri papyraceo: περὶ ὑῶν ποιήσεως ‚wie man zu Söhnen kommen kann‘. Periclis autem filio, quem habebat ex Aspasia peregrina, ut posset adoptari, antea tribuendam fuisse civitatem, id quod sciat incertus auctor apud Suidam s. v. δημοποίητος, cui non contradicat Plutarchi Per. XXXVII ἀπογράψασθαι εἰς τοὺς φράτερας. Novum civem ipsum quoque appellari ποιητὸς πολίτης.“ A. Koertium, qui Rh. M. p. 438/9 exponit Rutherfordium parabaseos historiam satis perspectam non habere, quod ita sanare velit locum argumenti corruptum, quoniam semper vetustiorum comoediarum Atticarum parabaseis litterarum iudicium spectaverint, id quod ex Aristophanis fabulis inde ab Acharnensibus usque ad Pacem sequatur, cum in Avium magnis anni 414 Dionysiis doctae parabasi nil de comico ullo dicatur, satis infirmo reor niti argumento. Nam etsi veri est simile iam Cratini temporibus comoediae rationem eandem fere fuisse quam prioribus Aristophanis fabulis cognitam habemus, tamen demonstrari nequit Cratinum in omnibus parabasibus de comicis locutum esse poetis. Accedit quod tota parabasi his de rebus ne Aristophanes in illis quidem comoediis locutus est, sed solum in anapaestis, quae proprie parabasis vocatur, cum in ea parte, quae διπλᾶ vocantur, alia tangantur (id quod non ignorat Koerte), velut inspice quaeso Equitum parabasin (v. 498/610), cuius anapaestis solis (504/550) de comoedia verba fiunt, cum in iis, quae secuntur, de equitum rebus bene gestis loquatur poeta. Atque utrumque in fabulae argumento I commemoratur: οἱ Ἱππεῖς περί τε τοῦ ποιητοῦ

τινα καὶ τῶν προγόνων, ἔτι δὲ καὶ τῶν συγκινδυνευόντων σφίσιν ἐπὶ ταῖς μάχαις ἵππων πρὸς τοὺς πολίτας ἁδροτέρως διαλέγονται. Negari non potest eam parabaseos partem, quae minoris momenti ei esse videbatur, argumenti aliquem scriptorem omittere potuisse atque etiam, si vox *ποιητής* non fuit in hoc argumento, praeterea de poeta quoque dici potuisse in parabasi. Accedit quod de filio isto comicos saepius locutos esse scimus ut Eupolin in Demis.

Reicienda mihi est Wilamowitzii sententia, qui alteram, non priorem parabasin hanc esse conicit. Nam si consideras versuum numeros, quibus continentur binae parabaseis priorum sex fabularum Aristophanearum, facile intellegis in media fere fabula parabasin priorem locum habere, alteram vero prope fabulae finem, certe longe post mediam fabulam. Cum vero non intellegatur, quae iam ante parabasin Dionysalexandri tot res gestae sint, et, quae post parabasin in scaena producta argumento papyraceo narrantur, multo plura sint, quam quibus breve illud spatium post alteram parabasin expleatur, dubitari omnino non potest, quin haec prior sit parabasis, si modo Cratinus eandem parabaseon rationem secutus est quam in prioribus fabulis Aristophanes. Tum si mihi opponis fieri non posse, ut argumenti scriptor alteram parabasin silentio praetereat, te refellere possum nisus Acharn. et Equ. arg. I, ubi describitur prior parabasis, silentio praeteritur posterior. Quare cum M. Croisetio suspicor optime alteram parabasin agi potuisse, dum Dionysus Lacedaemonem vehitur, et Wilamowitz ipse quoque hic chori carmen inserit, atque commemoratu dignum est fere isdem verbis hic argumenti scriptorem esse usum, quae in Equitum argumento legimus: *μετὰ ταῦτα.* Sed quis demonstrare potest habuisse Cratinum binas parabaseis?

Quin chorus ex Satyris compositus fuerit, dubitari non posse ex v. 42 viri docti recte intellexerunt. —

Sed priusquam tractemus ea, quae parabasin secuntur, quaerimus, quae antecesserint. Cum e papyri initii frustulis nil fere certi concludi possit, e sequenti argumenti parte atque nota fabulari historia haec intelleguntur: Introductus est in parodo Satyrorum chorus. Advenientem fecit poeta in montem Idam Mercurium (eius enim nomen servatum est v. 5), qui duxit Iunonem, Minervam, Venerem ad pulchritudinis iudicium ab Alexandro faciendum. Explicandum fuit, cur postea Dionysus, non ut in fabulari historia Alexander, iudicet de deis et rapiat Helenam.

Atque cum A. Koerte Herm. p. 488 dicat: „Wie der Ersatz des Paris durch Dionysos motiviert war, erfahren wir ja leider nicht", hoc ipsum me[1]) probare posse spero. Habuit enim ansam

---

[1]) Sed iam ante me Perdrizet, cf. p. 29 huius diss., Addendum.

Cratinus iam in ipsa fabula Cypriis tradita adimendi Alexandro iudicii atque transferendarum in aliam personam eius partium. Legimus enim apud recentiores scriptores, qui Alexandri iudicium narrant, caelestium splendido aspectu vehementissime perterritum Alexandrum misellum atque mortalem pastorem illum aufugientem a Mercurio demum retentum constitisse. Etsi nil hac de re legitur aut in Procli excerptis aut apud Apollodorum, qui fertur, aut apud Hyginum, tamen Ovidius in Paridis epistula (her. XV) veterem fabulae formam servasse videtur, qui Paridem scribentem facit v. 67 sqq:

obstipui, gelidusque comas erexerat horror,
cum mihi ‚pone metum!' nuntius ales ait,
‚arbiter es formae: certamina siste dearum,
vincere quae forma digna sit una duas!'
neve recusarem, verbis Iovis imperat et se
protinus aetheria tollit in astra via.
mens mea convaluit, subitoque audacia venit,
nec timui vultu quamque notare meo.[1])

Nam vetustissimis nobis licet niti testimoniis, complura enim vascula nigris figuris picta et vetusta rubris f. picta aetatem tulerunt, in quibus depictus est Paris, qui modo aspexit Mercurium et deas. En videmus terrore oppressum et aufugientem Alexandrum, qui retinetur a Mercurio. Collegit vascula, quae ad Paridis iudicium spectant, n. quidem f. picta Arth. Schneider, Der tro. Sgnkrs. in d. ältest. gr. Kunst 1886 p. 91 sqq., quem supplet Jane Harrison, J. of hell. stud. VII 1886 p. 196 sqq., G. Wentzel l. l. p. LI adn. 4 enumerat ea vascula sive n. sive r. f. picta, in quibus fugit Paris. Atque velim inspicias amphoram quandam Atticam n. f. pictam Musei archaeologici Etrusci Florentini, quam edidit J. Harrison l. l. tab. LXX, vel lecythum Atticam n. f. pictam Antiquarii Berolinensis n. 2005, quam edidit von Duhn, Arch. Ztg. XL 1882 tab. XI. = S. Reinach, Rép. des vases peints I p. 442, vel urnam Musei Britannici r. f. pictam catalogi vol. III E 445, quam edidit Baumeister, Denkm. II p. 1163, quod solum videtur huius vasculorum generis exemplum esse, in quo fugae se dare vult Paris (Harrison l. l. p. 207). Nuper Pernice, Jb. d. arch. I. XXI 1906 p. 45 sqq. explicavit vasculum Atticum n. f. pictum ex Museo Ashmoleano atque sine dubio recte[2]) rettulit ad fugam Paridis a Mercurio petiti, quam

---

[1]) De ipsa vero fuga narrat Colluthus de rapt. Hel. v. 124:

δειμαίνων δ' ἀνόρουσε, θεῶν δ' ἀλέεινε ὀπωπήν.

[2]) Perperam P. Gardner, J. of hell. stud. XXVI 1906 p. 226/8 ut antea ita etiam nunc censet repraesentari Cacum tenentem Geryonis boves, sed explicari vix potest, quomodo fabula Italica inveniatur in vasculo Attico saeculi sexti vel quinti ineuntis.

interpretationem ut amplecteretur, commotus est lecythi illius Atticae, quam supra commemoravi, analogia. Recte id quoque commonet hic ut in Cratini Dionysalexandro Paridis iudicium comicum in modum tractatum esse ab artifice, sed scaenicum ludum hic depingi demonstrari quidem non potest. In interpretandis his vasculis Welcker, Ep. Cyklus II[2] 1882 p. 90, Schneider l. l. p. 101 sq., G. Wentzel l. l. p. VII, XV, qui Paridis terrorem ad Cypria referunt, rectius iudicasse mihi videntur quam Luckenbach, J. f. cl. Ph. Suppl. XI 1880 p. 593 et von Duhn, Arch. Ztg. XL 1882 p. 209 sqq., qui artificibus ipsis hoc tribuunt.

Nonne licet suspicari Cratinum terrorem, quo oppressum Paridem, quem rudem et sordidum pastorem ut in veterrimis vasculis hic quoque fuisse cum Croisetio ex fr. 37, 39, 42, 46 (43 aliter explico) concluserim, appropinquantibus deis fugae se dare voluisse spectatores omnes ex Cypriis noverant, ridicule ante spectatorum oculos posuisse, ita ut Pernice l. l. exponit: „erschreckt springt Paris von seinem Sitz und die wilde Jagd beginnt"? Neque vero denique Mercurius consequi aut retinere potest Paridem, qui effugit. Facile intellegis, quot et quantos risus elicere potuerit poeta spectatoribus ita detorquens fabulam traditam. Non licet e nonnullis vasculis (Schneideri O, P, i) ad Paridis iudicium spectantibus, in quibus invenitur Dionysus, concludere ullam fabularis historiae formam, qua iam coniunctus sit Dionysus cum Paridis iudicio. Nam Schneider p. 102 recte exposuit hic vasculorum pictores ad suum arbitrium Dionysum vel eius signa addidisse.

Sed si modo Alexandro iudicium dearum ademptum erat, ipsum Dionysum pro eo inductum a Cratino mirum non est, nam recte A. Koerte Herm. p. 487 sq. commonuit semper comicos Dionysi partes ridiculas in deliciis habuisse ut Aristophanem in Ranis vel Eupolin in Taxiarchis, ubi deus ipsarum feriarum, quibus comoediae dabantur, sub Phormione stipendia meretur.

M. Croiset p. 299 sq. aliam de hac quaestione sententiam protulit, dicit enim Alexandrum, cum deae ad Idaeorum pastorum casam advenissent, fortasse domi non adfuisse et deas aspectu casae vilissimae et fimo caenoque horrentis deterritas esse, quominus Alexandrum, ut in animo habuerant, iudicem sibi asciscerent, praesertim cum fortasse audissent Alexandrum non splendidum esse virum, qualem poetae depingant, ut Homerus in Iliade, sed pastorem et horridum et stolidum. Quae si ita essent, opus fuisse deas alium sibi assumere pulchritudinis iudicem. Mihi vero iis, quae supra de Cypriorum fabula exposui, mea magis Dionysalexandri partium explicatio commendari videtur.

Quin A. Koerte in v. 6 si non recte supplevit *ἀπέρχεται*, at certe rectum sensum invenerit, dubitari nequit, quoniam, cum chorus cantabat parabasin, scaenam actoribus vacasse ex Aristophane constat.

Quare tres deas quoque et omnes, qui in scaena fuerant, ante parabasin abisse apparet. Sed accuratius fabulae initium vix restitui posse censeo, quoniam ad suam cuique sententiam fulciendam papyri verborum frustula incerta interpretari licet. Velut M. Croiset et A. Koerte in v. 2 *ζητ( )*, quam verbi *ζητεῖν* formam esse iis concedo, ad Dionysum sive a Satyris sive a Mercurio quaesitum rettulerunt et A. Koerte Dionysum iam ante parabasin in scaena fuisse ratus in v. 4 et 5 verba *αὐτὸν μὴ* et *ϱ*[.] *ισιν* intellexit: [*κ(αὶ) κελεύ(σας)*] (Mercurius) *αὐτὸν* (Dionysum) *μὴ* [*ποιεῖν τὴν κϱ*]*ίσιν*. Neque vero scimus, utrum Dionysus iam in scaena fuerit necne, et licet verbum quaerendi referre ad Alexandrum, quem captare studet Mercurius, nec non frustula illa, si supplemus *μὴ φοβεῖ(σθαι) τ(ὴν) κϱίσιν*. Sed etiamsi Dionysus iam adfuit ante parabasin, haeremus in interpretandis his litteris, Koerte enim, qui niti videtur in eo, quod Alexandro a Iove iudicium traditum erat, — legimus enim apud Proclum Cypriorum argumentum exponentem (Kinkel E G F I p. 17): *αἳ* (sc. tres deae) *πϱὸς Ἀλέξανδϱον ἐν Ἴδῃ κατὰ Διὸς πϱοσταγὴν ὑφ᾽ Ἑϱμοῦ πϱὸς τὴν κϱίσιν ἄγονται*, item fere in Apollodori, qui fertur, bibliothecae epitomis Vaticana et Sabbaitica (p. 187 W.) — Mercurium inducit vetantem Dionysum iudicis munere fungi, sed si Alexander afuit, nonne tamen acceptum fuisse exspectamus deis, quod Dionysus munus voluit suscipere (ita Croiset), ut sic quoque desideretur sensus *μὴ φοβεῖ(σθαι) τ(ὴν) κϱίσιν*?

Quae cum ita sint, id quoque diiudicari nequit, quod viri docti vix disputasse videntur, utrum Dionysus Alexandri habitu et persona usus in scaenam productus sit an vestem cum Alexandri non mutaverit functusque solum sit munere illi in mytho ascripto i. e. iudicio dearum et raptu Helenae. A. Koerte laudans Grauertium affirmat sub Alexandri specie Dionysum iudicium exsecutum esse Helenamque rapuisse indutum veste pastoris alicuius Alexandri socii idemque fere exponunt Wilamowitz et O. Schroeder, Berl. philol. Wo. XXIV 1904 p. 1475, Grenfell et Hunt eandem videntur p. 70 sententiam sequi. Sed contradicere illis videtur Blass ac ne M. Croiset quidem eos sequi. Sed deficiente papyri initio hac de re scire nil possumus, neque enim primum licet concludere quicquam ex fabulae titulo, quoniam *Διονυσαλέξανδϱος* est is, qui et Dionysus et Alexander est, neque refert, utrum alter sit ex habitu an ex factis. Tum, ut iam supra exposui, ignoramus, utrum Mercurius et deae Iovi obsecuti neminem iudicem assumere perseveraverint nisi Alexandrum, ut Dionyso si eius munere fungi studebat, persona quoque et habitu opus esset, an potius ipsi Dionysum fortuito praesentem absente Alexandro iudicium exsequi iusserint. Ne aliis quidem fragmentis vel argumenti verbis quicquam per se demonstrari potest, sed a certa demum sen-

tentia progressi rettulerunt Angli verba v. 10 sqq.: παραφανέντα τὸν Διόνυσον ἐπισκώ(πτουσι) κ(αὶ) χλευάζουσ(ιν) ad Dionysi vestem pastoralem, quamquam propter aliam quoque causam hoc fieri potuit, fr. vero inc. 281 K., si modo e Dionysalexandro sumptum est, ad Alexandrum fortasse spectat et fr. 38, quo describitur usitata Dionysi vestis, nil docet, quoniam nescimus, an dictum sit de eo, antequam Alexandri vestem induit.

Nunc disserendum mihi est de verbis ὁ δ(ὲ) παραγενομένων αὐτῷ παρὰ μὲν [Ἥρας] τυραννίδο(ς) ἀκινήτου, πα[ρ]ὰ δ᾽ Ἀθηνᾶς εὐτυχί(ας) κ(α)τ(ὰ) πόλεμο(ν), τῆς δ᾽ Ἀφροδί(της) κάλλιστό(ν) τε κ(αὶ) ἐπέραστον αὐτὸν ὑπάρχειν κρίνει ταύτην νικᾶν, quibus enarratur ipsum iudicium. Ac diverse viri docti hoc de loco iudicaverunt, neque enim intellegitur, quid hic sit παραγενομένων neque statim cognoscitur, utrum deae in iudicio adsint necne. Eorum, qui adesse deas censent, solus Croiset παραγενομένων servat, cum Angli et A. Koerte ei voci sensum offerendi abrogent, illi προτεινομένων, hic παραγγελλομένων scribat. Contra Wilamowitz, qui ipse quoque traditam scripturam retinet, negat deas adfuisse et censet Mercurium, cum abiret ante parabasin, reliquisse tres cistellulas, e quibus una eligenda fuerit Dionyso, neque enim post parabasin quemquam praeter Dionysum in scaena fuisse, qui quid ei offerret. Blass Wilamowitzii explicationem amplectitur, sed ne sic quidem servat παραγενομένων ac scribit cum Anglis προτεινομένων, tempus praesens tolerari posse, quoniam promissum etiam tum valuerit, postquam abisset Mercurius. Equidem primum iudico verbo παραγίγνεσθαι significationem offerendi deesse, semper enim in comoediarum ac tragoediarum argumentis hac voce indicatur aliquem aliquo advenisse, semper usurpatur de personis, numquam de rebus. Quare textus corruptelam agnoscere cogor. Tum intellegere non possum, qua re commotus Cratinus historiam illam cum poetarum tum artificum permultis operibus notissimam mutaverit. Nam si dicis impeditum fuisse poetam trium actorum numero certo, una dea παραχορήγημα esse potuit (cf. Koerte Herm. p. 489 sq.) aut non omnes simul in scaenam prodierunt, id quod magis putaverim (— quod ante parabasin una cum Mercurio in scaena tres deas fuisse exposui, ibi fortasse fuerunt κωφὰ πρόςωπα). Eximia vero in hoc ipso iudicio comico poetae offerebatur occasio exercendi ingenii. Rectissime hic Croiset iudicasse mihi videtur, qui putat tres sermones habitos esse a tribus deis, tum iudicium datum a Dionyso. Licet nunc nobis, ut locum sanemus, aut Blassii alteram coniecturam amplecti, qua servat παραγενομένων et statuit lacunam, aut pro παραγενομένων vocem sensus offerendi scribere. Neque enim Blassio concedo opus esse disertis verbis deas dici in scaenam prodisse nisus arg. Ach. I, ubi post parabaseos narrationem legimus haec verba: τοῦ

δὲ Δικαιοπόλιδος ἄγοντος καθ' ἑαυτὸν εἰρήνην τὸ μὲν πρῶτον Μεγαρικός τις . . . παραγίνεται, cum non expressis verbis exponatur redisse ipsum Dicaeopolin. Tamen magis illa Blassii coniectura mihi arridet, quod sic facilius et explicatur corruptela et intellegitur fabulae argumentum, accedit quod *παραγίγνεσθαι* eodem sensu ‚auftreten' legitur v. 33, in aliis argumentis saepissime. Verbo *παραγγέλλειν*, quod proposuit Koerte, quamquam sic similitudo formarum maior esset, cum nullum certum exemplum huius significationis invenire potuerim, praefero Anglorum *προτείνειν*, quod saepe sensu offerendi vel promittendi invenitur. Atque recte in universum Blass scribere mihi videtur: *παραγενομένων ⟨τῶν ἐριζουσῶν θεῶν καὶ προτεινομένων⟩ αὐτῷ.*

De supplenda nunc ea lacuna, quae est in versus 25 fine, breviter dicam, quid sentiam. Scribunt enim Grenfell et Hunt, quos secuntur Koerte et Croiset: *φ[εύγ(ει) πρὸς] τὸν Ἀλέξαν[δ(ρον)]*, cum Wilamowitz proponat *φ[οβεῖται] τὸν Ἀ.* Hunc rectum censeo invenisse, et quod, si fugisset ad Alexandri domum, dici non potuit *πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον*, id quod aliter intellectum esset, et quod omnino fugere vix opus fuit, quoniam iam iuxta Alexandri casam erat. Caret enim omni argumento A. Koertii sententia, qui vult Dionysum hic fugere ad Alexandri domum Troiae sitam Troiaeque agi fabulae exitum, cum mons Ida iam eo commendetur, quod ad arietis et anseris similitudinem Dionysus et Helena refugiunt. Contra Wilamowitzii coniectura neque propter verba neque propter sententiam addubitari potest.

Sed alius sequitur locus, quo haesitaverunt viri docti, dicitur enim v. 30 Dionysus Helenam abscondisse fisco, neque servata sunt verba, quae secuntur: *κ(αὶ) τὴν μ(ὲν) Ἑλένη(ν) εἰς τάλαρον ὥσπ[κρύψας.* Quae sit recta coniecturarum, quas fecerunt viri docti, ut supplerent lacunam, cognoscimus ex iis, quae statim legimus de Dionyso: *ἑαυτὸν δ' εἰς κριὸ(ν) μ(ε)τ(α)σκευάσας ὑπομένει τὸ μέλλον.* Sine causa Croiset p. 302 adn. 2 Anglos vituperare videtur, quod dicant Dionysum, ne detegeretur ab iratis Achivis, in arietem sese convertisse, cum arietis ut similis solum videretur, sese induerit. Neque enim dissentire censeo viros doctos. Irridere voluit Cratinus veras deorum conversiones, quae erant in mythis, cum fecit Dionysum vellus arietinum induentem et *βῆ βῆ* dicentem (fr. 43), cui prominerent partes corporis humani ut pedes et manus. Ita facillime cognosci potuit ab Alexandro quaerente, atque praeterea coniecerim saepius, cum periculum immineret, ne detectus puniretur, partes arietis, quas agebat, oblitum Dionysum humana lingua usum esse ut porcellas Megaricas in Aristophanis Acharnensibus. Verbum ipsum *μετασκευάζειν* utroque sensu usurpatur, velut confer Lucian. *περὶ ὀρχήσεως* 59, ubi dicitur de Iove in bestias converso, cum apud Aristoph. Eccl. 499

et in schol. Eurip. Phoeniss. 93 inveniatur notio mutandi habitus. Recte igitur Koerte iudicat Dionysum ut se ipsum ita Helenam quoque ut bestiam instituisse atque displicet *τυρόν* vel *τάριχ(ος)* vel *γάρον*, quod ob id solum mire proposuerunt Angli, quod apud comicos est iunctum cum *τάλαρος*. Procul autem dubio recte de ave cogitavit idem Koerte, quod *τάλαρος* avium ipsum qualum significet in Timonis Phliasii versibus apud Ath. p. 22 D et Helena ex ovo nata sit, eiusque vero e coniecturis *ὄρνιν* (gallinam) et *χῆνα* (anserem) recte Croiset eligit *χῆνα*, quia Cratinus, ut irrideret oloris filiam, in eam avem illam quasi converterit, quae oloris esset simillima, sed minus nobilis. Sed tolluntur ultimae dubitationes fr. o 46, id quod nemo adhuc vidit, legimus enim apud Ath. IX p. 384 B: *Κρ. ἐν Δ. λέγων ‚χηνοβοσκοὶ βουκόλοι‘*; ita vero censeo scribendum neque cum Meinekio, Kockio, Koertio post *χ. οἰ* incidendum, nam has voces artissime iunctas fuisse sequitur ex eo, quod Athenaeus l. l. non loquitur de variis generibus pastorum, sed de anserum apud veteres scriptores commemorationibus. Ergo *χηνοβοσκοὶ* hic adiectivum esse concludere licet atque quadrare censeo in Alexandri socios, boum et caprarum pastores, quorum quis, postquam vidit Helenam in anserem quasi conversam, fortasse dixit: *ἐσμὲν δὲ νυνὶ χηνοβοσκοὶ βουκόλοι*, nisi ipsius Alexandri domum reversi verba sunt, qui miratur conspectum solius anseris, cum adhuc *βουκόλοι* fuerint.

Restat, ut coner inserere huic fabulae argumento fragmenta, sed multo cautius iudicandum existimo, quam voluerunt viri docti, nam sescentiens plures difficultates quam alibi existunt in comoediarum fragmentis explicandis. Sed certo nunc iudicari potest de fr. 43:

ὁ δ' ἠλίθιος ὥςπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει,

neque enim dubitare licet, quin hic dicatur de Dionyso, qui ut arietem se instruxit, ut recte cognoverunt et editores Angli et A. Koerte, neque Croisetium intellegere possum, qui hoc fragmentum referre mavult ad Alexandrum stolidum pastorem istum translata verbi *πρόβατον* vi. Verba *ὥςπερ πρόβατον* non solum ad *βῆ βῆ λέγων*, sed etiam ad *βαδίζει* referenda esse et Dionysum ut arietem balantem per manus et genua reptasse E. Bethe recte in scholis coniecisse mihi videtur.

In fr. 38:

στολὴν δὲ δὴ τίν' εἶχε; τοῦτό μοι φράσον.
B. θύρσον, κροκωτόν, ποικίλον, καρχήσιον

apparet aliquem sciscitari de Dionysi veste eique alium respondere, qualis fuerit, nam haec Dionysi ornamenta atque insignia fuisse cognosces ex Kockii adnotatione. Sed quae plura hoc de fragmento proferuntur, iam inanes sunt opiniones, velut Koerte collocat in fabulae

initio et suspicatur a choro quaerente Dionysum inventum esse aliquem, qui eum vidisset, fortasse Mercurium vel pastorem aliquem, a quo deus vestem pastoralem mutuatus esset. Neque vero scimus, aut num pastorali veste usus sit Dionysus aut num quaesitus sit Dionysus a choro. Contra Croiset exponit Alexandrum hoc quaerere ex aliquo, qui Dionysum viderit advenientem in montem Idam.

De fr. 41:

νακότιλτος ὡςπερεὶ κωδάριον ἐφαινόμην

vix plura habeo, quae dicam, quam Koerte, qui putat hunc versum fortasse dictum a Dionyso, postquam arietis partes agere desiit, adici fortasse potest verbo *νακότιλτος* Dionysum videri id respicere, quod cum arietis pelle indutus ab Alexandro detectus esset, ab eo vellicatus, id est male mulcatus est, ita ut velleris ovini multis locis laesi speciem eius pellis atque Dionysus ipse praeberet.

Simul contemplanda sunt

fr. 37: *ἔνεισιν ἐνταυθοῖ μάχαιραι κουρίδες,*
αἷς κείρομεν τὰ πρόβατα καὶ τοὺς ποιμένας,
fr. 39: *οὐκ ἀλλὰ βόλιτα χλωρὰ κῴσπωτὴν πατεῖν,*
fr. 42: *παραστάδας καὶ πρόθυρα βούλει ποικίλα,*
fr. 46: *χηνοβοσκοὶ βουκόλοι,*

omnia enim indicant Alexandri eiusque sociorum vitam sordidam atque laboriosam, neque vero, quae lubricis argumentis nisi viri docti plura ad hos versus exposuerunt, proferre operae pretium existimo.

Restant fragmenta

40: *ἐν σαργανίσιν ἄξω ταρίχους Ποντικούς,*
44: *τῶν βδελλολαρύγγων ἀνεπαγγέλτων αὐτῷ φοιτήσας ἐπὶ δεῖπνον,*
45: *οὐ γάρ τοι σύγε πρῶτος ἄκλητος φοιτᾷς ἐπὶ δεῖπνον ἄνηστις;*

quibus agitur de cena atque cibis. Ad fr. 40 Koerte adnotat Kaibelum cogitasse de cena nuptiali, ad quam ipse Neptunus promisisset se pisces allaturum ut apud Epicharmum fr. 54 (Kaib.), sed ipse negat tam fuse talia potuisse exponi in hac fabula. Etsi de Neptuno dubitari potest, tamen in comoediae exitu nuptiarum futurarum Alexandri ef Helenae et ceteras voluptates et cenam quasi depictas esse, ut eo molestior et gravior videretur poena futura Dionysi, qui tradebatur Achivis, non ita negaverim, immo veri est simile haec in comoedia dicta esse, atque inveniuntur talia apud Aristophanem. Velut confer Acharnensium exitum, ubi opponitur Dicaeopolidi ad ferias eunti Lamachus vehementissimo cum dolore ad medicum portatus. Pax et Aves fabulae ipsae quoque clauduntur chori carminibus nuptialibus, Ecclesiazusarum vero quis est cui non in mentem veniat exitus, qui

chori carmine fit, quo enumeratur ordo fere infinitus ciborum in cena publica futurorum?

Omnino nil ex verbis, quae invenis sub fragmentorum numeris

47: *κλίνην τὴν παράπυξον,*

et 48: *ἡ γελγόπωλις*

colligere licet. Fragmenta 281 et 286 utrum attribuenda sint Dionysalexandro an Bubulcis an alii comoediae, demonstrari nequit.

Accedit novum aliquod fragmentum, quod Photii lexici initio ante paucos menses edito debemus. Legimus enim s. v. *αἱμῳδεῖν* (R. Reitzenstein, Der Anfg. d. Lex. des Phot. 1907 p. 53, 17): *καὶ τούτῳ προςεκτέον τὸν νοῦν. οἱ γὰρ πολλοὶ αἱμῳδιᾶν λέγουσιν ὥςπερ κνλοιδιᾶν, τοῦ Κρατίνου ἐν Διονυςαλεξάνδρῳ ἀπὸ τοῦ αἱμῳδῶ κλίνοντος.*

‚Εὐθὺς γὰρ ἡμῴδεις ἀκούων τῶν ἐπῶν
τοὺς προςθίους ὀδόντας.‘

αἱμῳδεῖν δὲ οἱ Ἀττικοὶ τὸ τοὺς ὀδόντας μετὰ κνησμοῦ τινος ἀλγεῖν.

Iam ipse editor adnotavit similes locos, quibus haec vox explicatur vel affertur, apud Phrynichum (Bekk. Anecd. Gr. I, 1814 p. 10, 6): *αἱμωδεῖν: Ἀττικώτερον. λέγεται δὲ καὶ αἱμωδιᾶν,* et in etymologico Gudiano (p. 617, 30 ed. Sturz, 1818): *αἱμωδεῖν, τὸ τοὺς ὀδόντας ὀδυνᾶσθαι, μετὰ κνησμοῦ.* Sed quaeritur, qui sit sensus huius rationis dicendi, atque puto hic dici de aliquo, cui vehementissime timenti, ne dentes exturbentur, iam antea dentes quasi pruriunt. Velim conferas Hesychium quoque, qui simile aliquid affert s. v. *αἱμωδιᾷν: τὸ τοὺς ὀδόντας ναρκᾷν ἀπὸ ὁράσεως ἢ ἀκούσματος.* Comparandi fortasse sunt eiusmodi Romanorum comoediae loci ut Plaut. Amph. 295, ubi Mercurius de Sosia loquitur:

‚Timet homo: deludam ego illum‘,

ille vero timide dicit:

‚Perii, dentes pruriunt:
Certe advenientem hic me hospitio pugneo accepturus est,‘

etsi nescio an ii Romanorum loci aliter explicandi sint. Probatur sane haec sententia eo, quod Photius addit ‚*μετὰ κνησμοῦ*‘. Ac primores pruriunt ei dentes, quoniam ii potissimum exturbari solebant adversarii pugnis, velim conferas Arist. Ran. 548:

εἰ . . ἐκ τῆς γνάθου πὺξ πατάξας μοι
ἐξέκοψε τοῦ χοροῦ τοὺς προςθίους.

Dentibus vero etiam genuinis saepius periculum imminuisse recte adnotat ad eum locum van Leeuwen, qui confert Phryn. fr. 68:

τοὺς δὲ γομφίους
ἅπαντας ἐξέκοψεν, ὥςτ᾽
οὐκ ἂν δυναίμην Ναξίαν
ἀμυγδάλην κατᾶξαι.

Alloquitur igitur his versibus aliquis aliquem, qui, cum verba quaedam audiret, vehementissime perterritus est. Possunt bene haec dici ad Dionysum, postquam detectus est, fortasse ab Alexandro graviter in eum invehente, legimus enim v. 23 sqq.: *ἀκούσας τοὺς Ἀχαιοὺς πυρπολεῖν τὴν χώραν φοβεῖται τὸν Ἀλέξανδρον.* Croenert, Rh. M. LXII 1907 p. 480 irati Alexandri verbis et Dionysum in arietem versum quaerentis perterritum esse Dionysum existimare videtur, id quod Paridi fallaciam aperuerit. Sed ad Alexandrum quoque ipsum referre hoc fragmentum licet, quem in fabulae initio perterritum atque obstupefactum dearum conspectu effugisse probavi.

Denique liceat mihi breviter totum fabulae argumentum, quale praeter obscurum initium fuisse suspicamur, enarrare. Agitur fabula in monte Ida apud sordidam Alexandri pastoris casam. Postquam Satyris in parodo introductis Mercurius, quem secuntur Iuno, Minerva, Venus, trementem Alexandrum, ut iudicium daret, commovere non potuit, cum nemo iam praeter ipsos adsit, chorus Satyrorum in parabasi ad spectatores se convertit et *περὶ ὑῶν ποιήσεως* loquitur. Subito advenit Dionysus, quem Satyri irrident nescioqua de causa. Sed deae quoque redeunt et laetantur aut alterum iudicem pro eo, qui aufugit, inventum aut, si Alexandrum eum esse existimant, illum redisse, atque, ut pro se iudicet, Iuno ei imperium sempiternum, Minerva belli gloriam, Venus summam pulchritudinem promittit. Dionysus facere non potest, quin Venerem vicisse dicat. Abeunt deae, Dionysus vero Spartam se confert ibique rapit Helenam, cum interim chorus cantet. Simulatque cum amica reversus est, nuntiantur Achivi raptum ulcisci terramque vastare. Vehementissimo terrore perculsus Helenam ut avem indutam in qualo abscondit, se ipse ut arietem induit et sic manet futura. Tum advenit Alexander et detectis duobus nefariis iubet et Dionysum et Helenam ad Achivorum naves duci iisque dedi. Helenae vero precibus resistere non potest eamque retinet, ut sit uxor, Dionysum tamen ad Achivos mittit, quem Satyri sequentes non se deserturos pollicentur. Sic ipsa fabula, quam inserta Dionysi persona mutaverat Cratinus, rursus in usitatam formam rediit, ita ut Alexander haberet Helenam. In exitu horum nuptiarum epulas commemoratas esse, cum Dionysus traheretur in servitutem, quae Satyrorum auxilio leniebatur, coniecerim.

Sed venio nunc ad id, quod maxime mirati sunt viri docti reperto argumento papyraceo, legimus in fine: *κωμῳδεῖται δ' ἐν τῷ δράματι Περικλῆς μάλα πιθανῶς δι' ἐμφάσεως ὡς ἐπαγηοχὼς*[1] *τοῖς Ἀθηναίοις τὸν πόλεμον.* Recte Koerte verba difficiliora „*μάλα*

---

[1]) Sic recte pro papyri *ἐπαγειοχὼς* van Leeuwen Mn. XXXII 1904 p. 446; cf. enim Kühneri-Blassii grammaticam p. 347 sq. et Brugmanni [3]1900 p. 260, 134.

πιθανῶς δι᾽ ἐμφάσεως explicasse mihi videtur, *ἔμφασιν* enim esse rhetorum artis vocabulum, cuius notio ‚versteckte Anspielung' brevissime exponatur apud Tiberium de figuris Demosth. 14 (Spengel, Rh. G. III p. 65): *ἔμφασις δέ ἐστιν ὅταν μὴ αὐτό τις λέγῃ τὸ πρᾶγμα, ἀλλὰ δι᾽ ἑτέρων ἐμφαίνῃ*, adiectivum vero *πιθανός* et adverbium *πιθανῶς* posterioribus temporibus vi sua destitutum non iam significare ‚überzeugend', ‚glaubwürdig', sed ‚geschickt'. Et recte denique vertit hunc locum: „Sehr geschickt durch versteckte Anspielungen wird in dem Stück Perikles als Urheber des Krieges verspottet." Sine causa igitur van Leeuwen Mn. XXXII 1904 p. 446 delet *δι᾽ ἐμφάσεως* et scribit *δι᾽ Ἀσπασίας*. Errat Koerte, qui omnino fere negat Periclem irrideri in hac fabula, cum dicit p. 491: „das Wort *ἔμφασις* besagt, daß der Spott nicht etwa so unverhüllt war wie in den älteren Aristophanischen Stücken. Es ist natürlich nicht erlaubt, dem Verfasser der Hypothesis den Glauben gänzlich zu versagen, es werden Ausfälle gegen P. nicht gefehlt haben, aber so viel scheint mir die Hypothesis doch deutlich zu lehren, daß der politische Spott nicht der Hauptinhalt der Komödie war. Hätte Perikles als zweiter Alexander geschildert werden sollen, der um eines Weibes willen den Krieg entfesselt, so war die Einfügung des Dionysos nicht nur überflüssig, sondern geradezu störend, der Dichter hätte dann eben keinen *Διονυσαλέξανδρος*, sondern einen *Περικλεαλέξανδρος* geschrieben. Daß ihm die Hauptsache die Mythentravestie war, geht aus jedem Satze der Hypothesis hervor, in der schlechterdings nichts an Perikles erinnert." Complura enim contra eum proferri possunt.

Ac primum quidem aptissimam totam hanc comoediam fuisse, qua irrideretur Pericles, recte exposuit M. Croiset p. 307 sqq., ipso enim quasi sub Dionyso latere Periclem et multa, quae utrique communia sint, inveniri posse, alludi vero ad Periclis et facta et mores. Nam primum, ut Dionysus belli Troiani auctor sit, ita Periclem quoque bellum Peloponnesiacum commovisse, tum, quo magis hoc perspiceretur, multis locis aperte commonefactum esse de bello Atheniensibus illato, qui nos effugiant, sed nunc etiam cognosci posse similitudinem sententiarum argumenti *ἀκού(σας) δ(ὲ) μετ᾽ ὀλίγον τοὺς Ἀχαιοὺς πυρ[πολ]εῖν τὴν χώρ(αν)* et Thucydidis II 19, ubi describatur primus ille Peloponnesiorum in Atticam impetus. Wilamowitz denique recte intellexit fabulae exitum, in quo Dionysus, qui scelus commiserit, ut bellum vitetur, tradatur hostibus, spectare ad Lacedaemonios, ut *ἀλιτήριοι* i. e. Pericles tradantur, postulantes (cf. Thuc. I 126/7). In mores autem quoque Periclis Cratinum hac fabula invectum esse M. Croiset porro disserit, ac primum quidem eius libidinem sui solius emolumenti cupidam castigari, ut enim Dionysus Helenae possidendae causa pro Venere iudicet, quamquam non ignoret, quid inde secuturum sit, ita

non solum legi (Plut. Per. XIII et XXXII) a Phidia et Aspasia ingenuas mulieres ei oblatas esse, quibus abuteretur, sed Aristophanem Ach. 527 sqq. etiam dicere bellum a Pericle ob eam rem commotum esse, quod Aspasiae, cui a Megarensibus duae meretrices raptae essent, morem gerere vellet. Tum Periclis perstringi ignaviam, Dionysum enim fortiter se gerere, quamdiu periculum ab hostibus non immineat, sed postquam Achivi naves appulerint, eum latebris se abscondere, atque idem Pericli exprobratum esse 431/0, ut legamus apud Thucydidem II 21 et de ipsis comicis apud Plutarchum Per. XXXIII. Tum argumenti verba ultima, quibus Koerte fidem fere denegat, equidem censeo summi momenti esse, nam vel ex eo, quod vir doctus ille, cui debetur argumentum, addidit ea, concludere licet permultis locis Periclem irrisum esse, saepius verbis non ambiguis. Neque enim haec nisi quasi summam comoediae esse existimasset, eum commemoraturum fuisse putaverim, neque tam facile tempore quamvis exiguo praeterito loci ad certos quosdam homines certasque res gestas spectantes intelleguntur, nisi aperte dictum est. Neque ad parabasin solum spectare haec verba apparet, hic enim *περὶ ὑῶν ποιήσεως* dicitur, non de bello Peloponnesiaco. Hoc quidem Koertio concedo propter vocem *ἔμφασις* non ita ut in aliis fabulis alios hic irrisum esse Periclem, velut in Acharnensibus Lamachus et Euripides, in Nubibus Socrates, in Thesmophoriazusis et Ranis idem ille Euripides suo nomine vel sua facie ipsi in scaenam producuntur atque vehementissime perstringuntur. Fortasse autem hoc potissimum illo *δι᾽ ἐμφάσεως* significatur, quod nisi Dionysi per speciem Pericles hic non irridetur. Praeter Periclis irrisionem fabulari quoque historia incredibilem et ridiculum in modum mutata spectatorum risum movere in animo habuit poeta, neque cum Dionysum inseruit, spectatores molestia eum affecisse, sed eorum risus auxisse apparet ex iis, quae supra exposui de Dionyso a comicis vexato. Sed ne ipsum induceret Periclem componeretque Periclealexandrum, eo quoque commotum putaverim Cratinum, quod minus periculosum fuit invehi in Periclem potentissimum illum[1]) *δι᾽ ἐμφάσεως*, per fabulae illusae speciem, quam aperte protracto in scaenam illius nomine. Sed aliunde aliud omnis sententiae, quam exposui, fulciendae argumentum repeti potest. Alteram enim Cratini fabulam eiusdem generis fuisse constat, dico Nemesin, qua per speciem illusi Iovis Pericles irrisus est. Coniunxit igitur hic Cratinus ingeniose id comoediae genus, quod spectat ad statum rei publicae, et meram comoediam fabularem ac specie priscae fabularis historiae tractavit eas res, quibus tum ipsum maxime commovebantur Atheniensium animi.

---

[1]) Si tempore fabulae, de quo agetur § 3, potentia privatus erat Pericles, tamer timere poterat poeta, ne mox in integrum restitutus se ulcisceretur.

§ 2.
De Nemeseos argumento.

Iam M. Croiset p. 307 obiter commemoravit Nemesin quoque Cratini fabulam, qua quis mythus illudebatur, in Periclem compositum fuisse. Sed plura hac de comoedia etiam dicenda mihi videntur. Summam enim duco inter Nemesin et Dionysalexandrum intercedere cognationem et similitudinem.

Mythus de Iove et Nemesi ille, qui in Cypriis narratus erat (cf. fr. 6 Kink. E G F I), in Cratini hac fabula in ridiculum versus est. Egit hac de quaestione Otto Rossbach[1]) (in Roscheri ‚Mythol. Lex.‘ III 1 p. 117 sqq., de Cratino maxime 128 sqq.), atque recte mihi exposuisse videtur mythum Atticum a Cypriorum in eo solum differre, quod Iovis et Nemeseos compressio Rhamnunte collocatur, loco illo Attico, quo medio quinto ipso ante Chr. n. saeculo Nemesi templum et statua exstructa erant. Omnibus vero Atheniensibus mythum illum notissimum fuisse cognoscimus ex Pausania I 33, 7, qui describit sic statuae Rhamnusiae Nemeseos basin: *Ἑλένῃ Νέμεσιν μητέρα εἶναι λέγουσιν Ἕλληνες, Λήδαν δὲ μαστὸν ἐπισχεῖν αὐτῇ καὶ θρέψαι· πατέρα δὲ καὶ οὗτοι καὶ πάντες κατὰ ταὐτὰ Ἑλένης Δία καὶ οὐ Τυνδάρεων εἶναι νομίζουσι. ταῦτα ἀκηκοὼς Φειδίας πεποίηκεν Ἑλένην ὑπὸ Λήδας ἀγομένην παρὰ τὴν Νέμεσιν, πεποίηκε δὲ Τυνδάρεών τε καὶ τοὺς παῖδας καὶ ἄνδρα σὺν ἵππῳ παρεστηκότα Ἱππέα ὄνομα.*

De Cratini autem Nemesi et ex paucis fragmentis edocemur, quae collegerunt Meineke II 1 p. 80 sqq. et Kock I p. 47 sqq., qui ibidem exponunt de hac fabula sententias, et ex iis, quae docent veteres viri docti de Oloris signo, cf. enim [Eratosth.] catast. 25 (Olivieri 1897 = My. G. III 1; p. 30/2) R et D et Germanici Arateorum scholiastas Basileensem (Breysig 1867, p. 84/5), Strozzianum, Sangermanensem (ibid. p. 152/3). Neque vero equidem audeo hos scriptores adhibere ad restituendam Cratini comoediam, quoniam hunc mythum modo a Cratino tractatum ex iis certo cognoscitur, non quae singula habuerit. De ipso fabulae igitur argumento haec cognosci possunt ovum illud, quod ex Iovis et Nemeseos, id quod docet titulus comoediae, compressione ortum erat, Ledae traditum esse, fragmenti enim 108 verbis

Λήδα, σὸν ἔργον· δεῖ σ' ὅπως εὐσχήμονος
ἀλεκτρυόνος μηδὲν διοίσεις τοὺς τρόπους,
ἐπὶ τῷδ' ἐπώζουσ', ὡς ἂν ἐκλέψῃς καλὸν
ἡμῖν τι καὶ θαυμαστὸν ἐκ τοῦδ' ὄρνεον

Leda ovum habere dicitur eique incubare iubetur atque Rhamnusiae imaginis quoque analogia haec commendatur interpretandi ratio. Per-

[1]) cf. Dénis, La comédie grecque 1886 I p. 234.

peram igitur Runkel (Cratin. vet. com. Graeci frgta. colleg. et illustr. 1827 p. 31/4) exponit Cratinum in hac fabula Nemesin eandem cum Leda fecisse, ut iam intellexerunt Meineke II p. 81 et Kock ad fr. 108. E fragmentis vero 110:

Σπάρτην λέγω γε σπαρτίδα τὴν σπάρτινον

et 112: Ὕρα τε τὴν Σπάρτην ἄγεις,

quibus dicitur de Lacedaemone, et ex iis, quae accepimus de imagine Rhamnusia, efficere licet cum Meinekio (II p. 81) Cratinum de locis et personis eam fabulae formam secutum esse, quam exhibent [Apollodorus] bibl. III 10, 7 (R. Wagner p. 143, 17) et Hyginus astron. (Bunte 1875) p. 44/5: Rhamnunte in Attica Iovem cum Nemesi concubuisse, quae inde pepererit ovum, quod aut a pastore aut a Mercurio Spartam ad Ledam Tyndarei uxorem portatum sit. —

Etsi dubitari non potest, quin haec quoque fabula ipsa a comico poeta multifariam in ridiculum versa atque illusa sit, tamen scire non possumus, num adeo ipse mythus a Cratino mutatus sit, ut intelleximus de Dionysalexandro inserto Dionyso. Quod Bergk (Commentat. de rel. com. Att. ant. 1838 p.398) affirmat Iovem a poeta non in olorem, sed in gallum conversum inductum esse, equidem cum Kockio (ad fr. 107) existimo argumenta satis infirma esse, etsi Cratino hoc sit dignum. Neque enim hoc colligi potest ex fragmento 107, quo quis Iovi suadere videtur, ut sese convertat: ὄρνιθα τοίνυν δεῖ σε γίγνεσθαι μέγαν, vel 114, quoniam ὄρνις de omni genere avium, non de gallis vel gallinis solis dicebatur, id quod patet ex iis Athenaei IX capitibus (15, 16), ex quibus sumpta sunt fragmenta 107, 108, 113, 114, velut conferas quem affert ille Homeri Odysseae locum (II p. 315, 12 ed. Kaib.). Neque sequitur hoc ex fr. 108, quoniam gallina commemorari potest ut ea avis, quae potissimum observabatur ovis incubans. Infra exponam, quomodo mores Nemeseos existimem a poeta mutatos esse risus movendi causa. —

Videtur igitur Nemesis item ut Dionysalexander primo oculorum obtutu esse mera ‚Mythenparodie‘, ut vernacule dicam. Summi vero momenti ad intellegendum totius comoediae sensum est locus Plutarchi Per. III 2, qui, postquam alios comicorum versus enumeravit, qui spectant deformatum Periclis caput, pergit: καὶ πάλιν ἐν Νεμέσει (sc. ὁ Κρατῖνος)·

Μόλ' ὦ Ζεῦ ξένιε καὶ καρᾶιε (sic Blass [2]1883).

Mihi enim hoc ex loco sequi videtur Iovis Olympii specie hic Periclem illusum fuisse, qui cognomine Iovis saepius irrisus esse multis locis nobis traditur. Non igitur dubito affirmare hanc quoque fabulam item ut Dionysalexandrum totam in Periclem

scriptam fuisse similiterque censuerunt Bergk Comm. p. 130, Kock I p. 47, 49 et Rh. M. IXL 1884 p. 134, Dénis, La com. gr. I 1886 p. 234, Mueller Strubingensis N. J. f. cl. Ph. CXLI 1890 p. 533, Couat, Aristoph. et l'anc. com. att. [2]1892 p. 137, O. Rossbach l. l. p. 128.

Atque ubi lateat quasi aculeus Periclem pungens, recte mihi quidem cognosse videntur Zuendel in litteris ad Meinekium datis (apud Meinekium V 1 p. XXXVI sq.) et Wilamowitz Obs. p. 28 sq.,[1]) spectat enim comoedia ad reddendum legitimum eum Periclis filium, quem ex Aspasia habebat,[2]) ac recte Zuendel exponit, quod cognomen de Iove sit ‚Beschützer der Gastfreunde', de Pericle significare ‚B. der Eindringlinge' negatque Wilamowitz *ξένιον* hic referendum esse ad amicitiam, qua cum peregrinis iunctus fuerit, velut Damone, Protagora, Anaxagora, ut perperam existimat Sintenis-Fuhr (Ausgew. Bgrphn. des Plut. III [4]1880) ad cap. III § 2.[3]) Zuendelum[4]) vero quod praeterea censet favere huic sententiae, quod et Plutarchus in eadem re (Per. 37) vocem ab eadem stirpe atque *νέμεσις* derivatam usurparit: *καὶ δόξαντες νεμεσητά τε παθεῖν*, et similiter dixerit Aelianus v. h. VI 10: *μετῆλθε δὲ ἄρα αὐτὸν* (sc. Periclem) *ἡ ἐκ τοῦ νόμου νέμεσις*, equidem sequi non possum, neque enim ulla ratio statui potest inter haec Plutarchi aut Aeliani verba Nemesinque Cratini. Nam etsi concedendum est iam quinto saeculo apud Athenienses Nemesin deae superborum ultricis munere functam esse (cf. Posnansky, ‚Nemesis und Adrasteia' in Bresl. Phil. Abh. V 1890 p. 40 sqq.), neque demonstrari potest neque verisimile est apud Cratinum hoc Nemeseos munus fuisse commemoratum, id quod vult Mueller Strubingensis, qui p. 533 dicit: „dies unerbittliche Walten der N., die furchtbare Ironie des Schicksals, das ist der Inhalt des großartigen Dramas", sed ipse difficultates cognoscit p. 534: „In welcher Weise dann der geniale Dichter es zustande gebracht hat, diese ich möchte sagen sittliche Idee des Stücks in die mythische Fabel von der schwangern Schwanenmutter hineinzuarbeiten und mit ihr zu verquicken, das können wir nicht einmal ahnen." Apud Plutarchum vero saepius legimus illud *‚νεμεσητὰ παθεῖν'* similiave, ut absurdum sit

---

[1]) Eos secuntur Kock ad fr. 111, Dénis l. l. I p. 234, Zelle (De cmdrm. Grcrm. saec. quint. ante Chr. n. actrm. tmprbs. defin., Diss. Hal., 1892) p. 12, 58, 60, Couat l. l. p. 138.

[2]) cf. supra p. 8 sq.

[3]) Idem vero Wilamowitz quod dicit laudatus a Kockio (I p. 47/8 et Rh. M. IXL 1884 p. 134), haec etiamsi interpretandi ratio respuatur, tamen sine dubio bello Peloponnesiaco exorto scriptam esse fabulam, equidem hoc negaverim, neque enim e fr. 110 et 112 patet Spartam irrisam fuisse (id quod iam intellexit Kock), potuit enim Sparta commemorari, si forte ovum Spartam delatum est, accedit vero, quod etiam ante bellum Sparta irrideri potuit ab Atheniensibus numquam Lacedaemoniis faventibus.

[4]) Eum sequitur Mueller Strubingensis (N. J. f. Ph. CXLI 1890 p. 533).

referre illam vocem ad Cratini fabulam, cf. vit. Aemil. Paul. XXVI, Mar. XXVI, Lucull. XXXVI, Ages. XXII, Pomp. XXXVIII, et Aelianus iisdem verbis atque loco supra exscripto utitur fr. 232, si recte ei datur: *τὴν τῶν ἀλαζόνων τιμωρὸν συνέντες Νέμεσιν, ἥπερ αὐτοὺς μετῆλθε σὺν τῇ δίκῃ.*

Sed Zuendel et Wilamowitz, qui sententiam suam magis protulerunt quam demonstrarunt, summum aliquod argumentum non animadverterunt, quo probatur Periclem fabula Nemesi irrideri propter filium spurium legitimum redditum. Fuit enim mythus ille aptissimus, quo id significaret comicus. Quid enim fecit Pericles? Studiose operam dedit nec non impetravit, ut filius spurius germani iura et honores adipisceretur. Nonne Nemesi comoedia, si tale fuit argumentum, quale supra adumbravimus, simile aliquid expositum est? Iovis enim, quem ex fragmento illo a Plutarcho tradito Periclis partes egisse cognovimus, etsi non filius, attamen filia spuria in ovo a Nemesi Ledae tradita quasi Tyndarei filia germana reddita est. Facile intellegi potest, quomodo singulis verbis, quae nos quidem effugiunt, hanc sententiam clariorem reddere poeta potuerit. Etsi hic in meras coniecturas incido, tamen liceat mihi suspicari ab Iove ipso Nemesin iussam esse prospicere filiae suae spuriae eamque quovismodo germanam quasi reddere, Iovique obsecutam Nemesin vel aliam personam ovum Lacedaemonem detulisse. Praeterea in hac quoque fabula, si recte adhuc iudicavi, Periclis ista, quam exprobrarunt, lascivia atque luxuria castigatur, taeterrima enim cupiditate impletus quin Iuppiter hic inductus fuerit, quis est, qui dubitet?

Haec quoque porro conici posse existimo: Apparet, quod Iuppiter Periclis partes quasi egit, sub Nemesi omnibus spectatoribus Aspasiam latere visam esse ac recte post Wilamowitzium Obs. et Kockium Couatium l. l. p. 137 dixisse: „Cratinus mit sur la scène les amours de Périclès et d'Aspasie, qu'il représentait sous l'allégorie ingénieuse et mordante de Z. et de N.“, et putaverim non ut in Cypriorum fr. 6 castam atque timide fugientem inductam eam fuisse, id quod non congrueret cum Cratini aliis de hac muliere iudiciis (cf. Plut. Per. XXIV, 4), sed non minus libidinosam quam ipsum Iovem. En habemus praeterea, quod nostri vocant ‚Mythenparodie‘.[1])

Fulcitur denique haec de Nemeseos argumento sententia eo, quod ita haec fabula eidem tempori adscribenda est atque Dionysalexander, quoniam hanc eiusdem generis fabulam (‚politische Komoedie gegen Perikles im Gewand der Mythenparodie‘) ipsam quoque ad illam legem spectare intelleximus.

---

[1]) Confer, quae hac de re praeterea exponit Dénis l. l. I p. 234/5, qui fr. 114 „*ὄρνιθα φοινικόπτερον*“ fortasse recte refert ad Pyrilampis illas aves, de quibus agit Plut. Per. XIII, 6.

§ 3.

De Dionysalexandri et Nemeseos temporibus.

Quibus expositis conabor circumscribere quam artissime Nemeseos et Dionysalexandri tempus. Atque neglegenda sunt[1]), quae profert scholiasta Venetus in Aristoph. Av. 521[2]), de Lampone enim legimus: *ὅτι οὗτος χρησμολόγος· ἔζη δὲ καὶ ἐπὶ τῆς τῶν Ὀρνίθων διδασκαλίας, οὐχ, ὥς τινες, ἐτεθνήκει. πολλῷ γὰρ ὕστερον Κρατῖνος ἐν τῇ Νεμέσει οἶδεν αὐτὸν ζῶντα, καὶ ταῦτα πολλῷ ὕστερον.* Hic examinandae sunt Cappsii quaestiones, quibus inscripsit ‚The Nemesis of the younger Cratinus' (Harv. Stud. XV 1904 p. 61/75). Qui p. 75 sic sententiam suam comprehendit: Videri dissentire inter se scholium ad Av. 521, quo dicatur Cratinus Nemesin multo post Aves i. e. post annum 414 dedisse, et Aristoph. Pac. versum 700, quo dicatur Cratinus iam mortuus esse, i. e. ante annum 421. Verba enim scholii sana esse ac ne Pacis quidem versum ita interpretandum esse, ut dicamus non veram Cratini mortem commemorari, quoniam et tradatur *Πυτίνῃ* anno 423 acta eius ultima fabula esse et poeta ab Aristophane anno 424 in Equitibus v. 526 sqq. dicatur esse summae aetatis senex decrepitus. Cum veri non sit simile Cratinum et maiorem et minorem natu Nemesin fabulam conscripsisse, errorem latere apud Plutarchum in Periclis vita III 2 Nemesin Cratino maiori natu tribuentem, qui in vitis conscribendis collegerit comicorum iocos ad viros a se tractatos pertinentes non ex ipsis fabulis, sed ex libris *περὶ κωμῳδουμένων*; deceptum igitur nomine Cratini eum censuisse *Δία* illius fragmenti esse Periclem. Mythum illum notissimum a Cratino minore in ridiculum versum esse fabula Nemesi, quod mediae comoediae clarum exemplum sit, neque cogitari posse simul Periclem et Aspasiam irrisos esse: „The play was a mythological travesty, incapable of sustaining a satirical allegory such as Bergk imagined. Typical in plot of the Middle Comedy, it is to be assigned to the younger Cratinus." Nemesin esse actam inter 410 et 404.

Equidem Cappsium sequi non possum. Hoc enim spero unumquemque mihi concessurum potius quam a scholio a certo Plutarchi[3]) testimonio proficiscendum esse, qui non sine causa illa Cratini verba ad Periclem rettulit, sive ipse comoedias perquisivit sive auctoribus nisus est, qui id fecerunt.[4]) Sed id valde miror Cappsium neglexisse

---

[1]) Sic recte Meineke I p. 44, II p. 85; Kock I p. 51.

[2]) Sequor textum Cappsii, Harv. Stud. XV 1904 p. 61, qui adnotat codicum varietates.

[3]) Fabulam secundum Plutarchi testimonium post Periclis obitum vix doceri potuisse iam recte exponit Meineke, Qu. scaen. I 1826 p. 14 = FCG I p. 43/4.

[4]) Sic nunc Kunzmann quoque (Quaest. de Pseudo-Luc. libelli, qui est de longaevis, fontibus atque auctoritate, Diss. Lips. 1908), p. 58 adn. 2.

rationem habere Dionysalexandri,[1]) quod si fecisset, existimo non eam prolaturum eum fuisse sententiam, quam supra exscripsi. En habemus eiusdem illius generis, quod ille fuisse negat, fabulam, quae ipsa quoque per speciem irrisi mythi in illius aetatis hominem versa est! Sed etiam maior intercedit similitudo inter Dionysalexandrum et Nemesin, qualem contra Cappsium Plutarcho credentes supra adumbravimus. Utraque enim fabula Pericles vexatur, utraque a Cratino quodam composita esse traditur, utriusque argumentum haustum est ex historia fabulari, quae spectat ad res bellum Troianum praecedentes, quae Cypriis narratae fuerunt, altera tota Pericles ut legis illius auctor accusatur, alterius certe parabasi. Quis est, qui putet has fabulas a diversis poetis compositas diversis temporibus? De Cratini mortis anno hic disserere meum non est ac ne id quidem explicare conabor, quomodo scholium emendandum aut aliter interpretandum sit.

Incertam liceat mihi addere coniecturam, quae quamquam demonstrari non potest, tamen habet aliquid veri similitudinis. Lucam enim (Cratinus et Eup. 1826 p. 9) et Runkelum (Cratin. vet. com. Gr. fr. 1827) recte iudicasse censeo, quod dicunt in temporum ratione scholiastam errasse, sed libenter concedunt in Nemesi inductum fuisse Lamponem vel commemoratum, neque vero exponunt quomodo hoc fieri potuerit. Optime vero in Nemesin fabulam quadrat Lampo vates ille. Nonne enim potuit Tyndareus ovo illo, quod fortasse Ledam uxorem peperisse existimavit, vehementissime perterritus Lamponem istum accersere, ut sibi quid de illo omine iudicandum esset, exponeret? Facile intellegi potest, quo cum omnium gaudio Lampo vel vates aliquis, sub quo Lamponem latere nemo ignorabat, de ovo illo vaticinatus sit. Accedit quod de istis ipsis miraculis Lamponem iudicasse edocemur a Plutarcho Per. VI 2 et Cratinum eum irrisisse cognoscimus ex fr. 57 et 58.

Profecti sunt viri docti in quaerendo Dionysalexandri tempore ab eo, quod fabula acta sit exorto bello Peloponnesiaco, quia Periclem ut belli auctorem vituperari et ex fabula ipsa et ex argumenti papyracei exitu efficiatur, unus Wilamowitz G. G. A. p. 665 sq., cum recte fabulae finem ad autumnum 432 rettulisset, quo postulaverunt Lacedaemonii, ut ἀλιτήριοι traderentur, anno 431 iam comoediam assignavit. Neque vero ea, quae spectabant ad Periclem ἀλιτήριον expostulatum, exorto bello caruerunt sale, nam etsi poeta iam non cives

---

[1]) Capps argumentum papyraceum novit (cf. p. 72), nondum Zielinski (Rh. M. IXL 1884 p. 302 sqq.), qui ipse quoque Nemesin nil fuisse censet nisi ‚mythologisches Lustspiel‘, et ut servetur et scholii et Plutarchi auctoritas, censet Nemesin bis datam esse, primum Periclis temporibus instructam nonnullis in Periclem calumniis, quae post Aves in altera actione omissae sint. Num recte sic illorum locorum temporis consensum effecerit, quis est, qui diiudicare possit?

adhortari potuit, ut traderent Periclem secuti Alexandri exemplum, tamen Cratinum opinor Atheniensibus per iocum potuisse monstrare, quid facientes et ab hostibus et bello sese ipsi liberare potuissent vel forte etiam nunc possent, si eum ducem iam non sequerentur.

Tum M. Croiset recte cognovit Dionysalexandrum actam quoque esse ante Hermippi eam fabulam[1]), ex qua sumpsit Plutarchus Per. XXXIII 4 hoc fragmentum (sequor Blassium):

βασιλεῦ σατύρων, τί ποτ᾽ οὐκ ἐθέλεις
δόρυ βαστάζειν, ἀλλὰ λόγους μὲν
περὶ τοῦ πολέμου δεινοὺς παρέχῃ,
ψυχὴ δὲ Τέλητος ὕπεστιν;
κἀγχειριδίου δ᾽ ἀκόνῃ σκληρὰ
παραθηγομένη βρύκει κοπίδας,
δηχθεῖσ᾽ αἴθωνι Κλέωνι.

Apparet enim Satyrorum regem eum appellari, quoniam in Dionysalexandro is spectatus est, eademque ignavia et libido ut hic ita ibi ei exprobratae sunt.

Sed nova lux Rutherfordii splendida illa coniectura, qua scribit *περὶ ὑῶν ποιήσεως*, huic quaestioni affertur idque ipse cognovit. Eadem enim ratio est de Cratini Dionysalexandro atque de Nemesi, quam ipsam quoque ad Periclem minorem natu legitimum reddendum spectare intelleximus. Utraque autem fabula acta est post mortem filiorum Periclis genuinorum, utramque actam esse non post ipsius Periclis mortem sequitur ex eo, quod Cratinus eum alloquitur in Nemesi[2]) et Hermippus in fabula, quam etiam post Dionysalexandrum datam intelleximus. Agebantur comoediae Athenis et Lenaeis mense Gamelione i. e. mense fere Ianuario et magnis Dionysiis mense Elaphebolione i. e. mense fere Martio. Periclem mortuum esse exeunte fere mense Septembri 429 sequitur ex Thuc. II 65, 6 (cf. Busolt, Gr. G. III 2 1904 p. 984). Ergo non post Dionysia anni 429 Dionysalexander et Nemesis actae sunt. Filii quoniam medio demum anno 430 vita decessisse atque aliquo tempore post, ut filius legitimus redderetur, Pericles laborasse et impetrasse videtur (cf. Busolt l. l. p. 948 adn. 1), non ante Lenaea 429 illae fabulae doctae sunt. Sed item ut illas Cratini duas fabulas Hermippi quoque eam fabulam, ex qua fragmentum illud haustum est, anno 429 attribuendam esse apparet, quoniam data est ante Periclis mortem (poeta enim eum alloquitur) et spectat ad Dionysalexandrum. Sed cum vix iisdem feriis duas fabulas Cratinus egerit, id quoque statim apertum est Cratini Dionysalexandrum datam

---

[1]) Num Meineke et Kock *Μοῖραι* esse recte dicant, hic quaerere nolo.
[2]) cf. p. 26 adn. 3.

esse Lenaeis 429[1]), Cratini Nemesin[2]) et Hermippi illam fabulam[3]), in qua alloquitur Periclem ut Satyrorum regem, magnis Dionysiis 429.

Addendum.

p. 10 sqq. — Quae cum iam sub prelo essent, mihi innotuerunt, quae conscripserat Perdrizet, Hypothèse sur la première partie du D. de Cr., Rev. des études anciennes VII 1905 p. 109 sqq., neque valde me laetari infitior, quod eisdem scriptorum locis atque vasculis pictis nisus item ut ego iudicavit de Cypriis et de Cratino Paridis fugam adhibente ad inducendum Dionysum. Exponit praeterea recte Graecis deos a mortalibus non sine damno conspici visos esse. Haec quoque recte, etsi demonstrari nequeunt, excogitasse mihi de fabulae initio videtur: Dionysum cum Satyris praesente Paride thiasum fecisse, cum subito advenerunt tres deae duce Mercurio. Tum omnes deorum conspectu esse perterritos, Satyros atque Dionysum, quamquam ipse deus esset, ut erat ignavissimus, in propinquo se occultasse, Alexandrum effugisse, Mercurium persecutum fugientes non comprendisse Alexandrum, sed Dionysum veste splendida impeditum. Explicari sic id quoque, cur Satyri irriserint Dionysum prodeuntem.

---

[1]) Attribuerant D. um anno 430 vel 429 Angli et Koerte, D. um Lenaeis, Hermippi fabulam Dionysiis anni 430 Croiset et Blass, D. um anno 431, H. i. fabulam anno 430 Wilamowitz G. G. A.

[2]) Anno 429 Nemesin iam ascripserant Wilamowitz Obs. p. 24, Kock I ad fr. 111, Zelle (De com. Gr. tmprbs. etc., Diss. Hal. 1892) p. 12, 58, 60, Couat. l. l. p. 137.

[3]) Etsi hanc fabulam, quam plurimi *Μοίρας* esse dixerunt, nisi rationem supra expositam sequi cogeremur, veri anni 430 ascriberemus cum Bergkio p. 318, Wilamowitzio Obs. p. 24/5, Kockio I p. 235, Zellio p. 12, 58, 60, Couatio p. 137, Busoltio Gr. G. III 2 p. 940, cum Meincke eam iam anno 431 attribuat I p. 91, quem, quomodo idem Lenaeis vel magnis Dionysiis (Ianuario vel Martio) et simul post primam Atticae incursionem (quae facta est mense Maio, cf. Busolt p. 924) censeat potuisse eam doceri, non intellego, tamen facere non possum, quin quaestionem supra institutam rectam existimem et affirmem, quamquam tum Pericles fortasse praetura neque fungebatur neque praetor creatus erat (cf. Busolt l. l. p. 963, sed cum adn. 2, et E. Meyer, G. d. A. IV p. 322/3), dici illa verba de eo potuisse mense Martio anni 429 neque refelli hanc sententiam eo, quod sic fortasse trium illarum comoediarum calumniae et iniuriae vehementissimae non versae sunt in praetorem potentissimum, sed eum, qui magistratu motus in rebus tum erat humilissimis, quamquam fortasse tum ipsum paulatim eius potentia denuo crescebat atque mox restitutum iri eius adversarii intellegebant.

Caput II.

De Aristophanis Ach. v. 515/539.

Spero me aliquid novi afferre posse ad diiudicandam difficillimam eam quaestionem, quae est de populiscitis Megaricis. Ultimus fusius de populiscitis Megaricis egit Busolt (Gr. Gesch. III 2 1904 p. 810/7), qui iam collegit potiores virorum doctorum sententias, qui antea hanc quaestionem tractaverant (p. 811 adn. 1). Quae secuntur, ut melius perspicias, hoc praemittam tria populiscita aut vera aut vera credita in censum venire, 1) ne Megarenses merces in Atticam importarent, 2) ut Megarenses intra totius imperii Attici fines, et in Attica et in insulis et in civitatibus sociis, omni iure commercii carerent i. e., ne aut merces importarent aut inde domum exportarent, 3) ut Megarensibus omnino non liceret intrare Atticam, qui intrassent, supplicio afficerentur, ut duces iurarent se binas quotannis irruptiones in Megaridem facturos, alia, vel ut brevius vernacule dicam, 1) ‚Attisches Einfuhrverbot', 2) ‚Reichshandelssperre', 3) ‚Landesverweis'. Et num et quando et quibus auctoribus haec populiscita facta essent, permulti viri docti quaesiverunt necdum consensus inter eos exstitit.

Ac primum quidem hoc memoria tenendum est eum auctorem, cui potissimum fidem habere velimus, Thucydidem, de populiscitis Megaricis nos non satis edocere, quoniam non originem exponit, sed tum demum *τοῦ περὶ Μεγαρέων ψηφίσματος* mentionem facit, cum iam queruntur Megarenses. Accedunt Diodori verba, ut ipse adnotat ex Ephoro[1]) hausta, XII 39, 4/5, qui Thucydidis fere verbis usus exponit de populiscito quodam Megarico, quod quin idem esset atque Thucydidis, nemo, quod videam, vir doctus dubitavit. Sed cum ipse quoque statim perfectum inducat populiscitum, nihil ex eo discimus, quod non exstet apud Thucydidem. Contra Aristophanes Ach. 515 sqq. et Pac. 605 sqq. fusius de rebus Megaricis agit, sed ut altero loco ut notas eas commemorat, ita omnino comicis iocis tractatas eas videmus atque sunt, qui eius verba nullius momenti esse dicant ad diiudicandam eiusmodi quaestionem. Plutarchi autem verba, qui quinque

[1]) cf. Ed. Schwartz, Ply.-Wiss. V 1, 609 s. v. Diodoros, qui Ephoro dat capp. 38/40, cum Fr. Vogel, Rh. M. XLIV 1889 p. 532 sqq. ei abiudicaverit cap. 38.

saeculis post floruit, cuius saepe ignoramus auctores, qui magis, ut virorum mores atque exemplaria proponeret quam ut historiam secundum temporum ordinem conscriberet, vitas composuit, saepius vix recte intellegi posse, saepius addubitanda esse facile intellegitur. Sed quae de scriptorum auctoritate et fide exposuimus, in universum modo dicere licet, atque fortasse ex ipsis Aristophanis Acharnensibus plura elici possunt, quam videntur.

Index librorum.

Ullrich, Das megar. Ps., Hamburg 1838.

Cobet, Mn. nov. ser. I (1873) p. 114 sqq.

Holzapfel, Ü. das Ps. d. Charinos in ‚Untersuchungen üb. d. Darst. der gr. Gesch. b. Ephoros u. s. w.', Leipzig 1879, p. 176 sqq. et Berl. Stud. VII (1888) p. 89 sqq.

von Wilamowitz, Curae Thucyd., index schol. Gott. 1885, p. 14, 17.

Duncker, Gesch. d. Alt., N. F. II = IX 1886, p. 329, 350.

Krech[1]), De Cratini *ψηφισμάτων συναγωγῇ*, Diss. Greifsw. 1888, p. 76 sqq.

Schoell, S.-B. d. kgl. bay. Ak. d. Wiss., phil.-hist. Kl. 1888 I p. 32.

Nissen, Hist. Ztsch. LXIII (1889) p. 409, 416.

Meiners, Diss. Hal. XI (1890) p. 374 sqq.

Buedinger, Poesie u. Urkde. b. Thuk., Dkschr.en d. Wien. Ak., phil.-hist. Kl., vol. XXXIX 1891 p. 22 sqq. et 43 sqq.

Klett[1]), Das megar. Ps., Korrespbl. f. d. Schln. Wrttmbgs. XXXVIII (1891) p. 357 sqq., 473 sqq.

Kershaw, Commentat. philos. Monacens., Muenchen 1891 p. 22 sqq.

Steup, Thuk. Stdn. II (1886) p. 21, 60 et in editione Classeni, quam quartum curavit I (1896) p. 367 sqq.

Busolt, Gr. Gesch. III 2 (1904) p. 812 sqq.

Beloch, Gr. Gesch. I (1891) p. 512 sqq.

van Leeuwen, in editione Aristoph. Ach., Lugd. Bat. 1901, adn. ad v. 515 sqq.

Ed. Meyer, G. d. A. IV (1901) p. 290 sq., 294, 312 sq. et Forschungen z. A. G. II (1899) p. 297 sqq. et 307 sqq.

Poehlmann, Grundriß d. gr. Gesch. [3]1906 p. 138.

§ 1.

De primo, quod fertur, populiscito Megarico.

Primum quidem explanandi sunt Acharnensium v. 515 sqq., quibus Dicaeopolis causas detegere sibi proposuit, e quibus belli mala orta essent populo Atheniensium, atque omnem culpam tribuit Pericli, qui cum populiscitum Megaricum tulerit atque, ut aboleret, rogatus recusaverit, belli auctor factus sit:

ἡμῶν γὰρ ἄνδρες, οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω,
ἀλλ' ἀνδράρια μοχθηρά, παρακεκομμένα,
ἄτιμα καὶ παράσημα καὶ παράξενα,
ἐσυκοφάντει Μεγαρέων τὰ χλανίσκια·

---

[1]) Neque Krechii neque Klettii dissertationem praesto mihi fuisse doleo, sed quae earum sit summa, exponit Busolt l. infra l.

κεἴ που σίκυον ἴδοιεν ἢ λαγῴδιον
ἢ χοιρίδιον ἢ σκόροδον ἢ χόνδρους ἅλας,
ταῦτ' ἦν μεγαρικὰ κἀπέπρατ' αὐθημερόν.
καὶ ταῦτα μὲν δὴ σμικρὰ κἀπιχώρια.
πόρνην δὲ Σιμαίθαν ἰόντες Μεγαράδε
νεανίαι κλέπτουσι μεθυσοκότταβοι·
κᾆθ' οἱ Μεγαρῆς ὀδύναις πεφυσιγγωμένοι
ἀντεξέκλεψαν Ἀσπασίας πόρνα δύο·
κἀντεῦθεν ἀρχὴ τοῦ πολέμου κατερράγη
Ἕλλησι πᾶσιν ἐκ τριῶν λαικαστριῶν.
ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης οὑλύμπιος
ἤστραπτ' ἐβρόντα ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα,
ἐτίθει νόμους ὥςπερ σκόλια γεγραμμένους,
ὡς χρὴ Μεγαρέας μήτε γῇ μήτ' ἐν ἀγορᾷ
μήτ' ἐν θαλάττῃ μήτ' ἐν οὐρανῷ μένειν.
ἐντεῦθεν οἱ Μεγαρῆς, ὅτε δὴ 'πείνων βάδην,
Λακεδαιμονίων ἐδέοντο τὸ ψήφισμ' ὅπως
μεταστραφείη τὸ διὰ τὰς λαικαστρίας·
οὐκ ἠθέλομεν δ' ἡμεῖς δεομένων πολλάκις.
κἀντεῦθεν ἤδη πάταγος ἦν τῶν ἀσπίδων.

Etsi num, quae Aristophanes dixit, vera sint, difficilius est ad quaerendum, tamen, quid dixerit, aperte explanari potest. Atque hoc tenendum est duo tempora variae Atheniensium in Megarenses rationis a poeta discerni, 1) dicit enim v. 515/23 de eo tempore, quo homines nefarii Megarensium vestimenta, ficos, lepores, porcos, sales ob eam ipsam rem, quia Megarica erant, scrutati detulerunt eaeque merces eodem die publice venierunt.[1] Secuntur versus 524/7, quibus exponit adulescentes nonnullos Atticos Simaetham meretricem Megaris furatos esse atque lacessitos Megarenses, ut ulciscerentur, duas Aspasiae meretrices rapuisse. 2) Inde vehementissime iratum Periclem auctorem exstitisse legis (*νόμους* enim hic dici singula ea, quae una lege constituta sunt, apertum est), qua Megarenses vetiti sint aut in foro aut in mari aut in terra remanere (530/4). Tum Megarenses gravissima fame oppressos a Lacedaemoniis petivisse, ut ab Atheniensibus impetrarent, ut lex aboleretur, sed Athenienses legem irritam reddere noluisse atque inde bellum exortum esse (535/9). Cum Aristophanis intersit omnem belli culpam Pericli tribuere atque demonstrare hanc ob rem levissimam turpissimamque tanti mali auctorem eum exstitisse, statim

---

[1]) Eas enim res a Megarensibus maxime in Atticam esse importatas cum interpretes locis allatis demonstrent, sto a van Leeuweni contrariis, sed ob id quoque, quod eius argumentum a iunctura repetitum non probo et illud *ἐσυκοφάντει* hanc tantum simplicem explicationem admittere censeo.

cum commemoravit de raptu meretricum, hanc rem causam belli factam esse dicit (528/9), atque infra, postquam exposuit, quomodo res ita gestae essent (530/7), hanc sententiam repetit (539).

Videtur, ut Lipsius exponit in scholis, Aristophanes 515/523 non loqui de priore quodam populiscito, quod hoc ex loco concluserunt Duncker, Klett, Busolt factum esse, ne merces a Megarensibus Athenas importarentur, etsi hoc non, ut Steup censet, iam inde sequitur, quod bis affirmat Dicaeopolis se non de re publica, sed de singulis hominibus scelestis loqui; haec enim verba ita accipi possunt, ut putes non sine irrisione cavere velle poetam, ne accusetur. Dicendum enim ei est pro Lacedaemoniis, id est *περὶ τῆς πόλεως* (499), et ut supra commonuit (504/8) Athenienses solos adesse Lenaeis, ita hic caute eum dixisse cogitari potest se omnino non loqui *περὶ τῆς πόλεως*, sed de singulis, qui deferebant Megarenses, quamquam nisi ii sunt in ipso populiscito in Megarenses facto.[1]) Sed rectius iudicasse censeo eos, qui ad ‚Zollschikanen, Zollplackereien' hos versus rettulerunt,[2]) namque *ἀνδράρια μοχθηρά, παρακεκομμένα, ἄτιμα καὶ παράσημα καὶ παράξενα* ii vix possunt vocari, qui suo iure detulerunt Megarenses, si revera merces importare vetiti erant, potius hominum nefariorum est deferre et vexare eos, qui solum portoria et vectigalia non solverunt. Accedit quod, quae hic refert poeta, *ἐπιχώρια* i. e. ‚landesüblich' (523) esse dicit et v. 532 demum Pericles leges in Megarenses tulisse dicitur. Versus 522 sic intellegendus est: Ad eam impudentiam delatores isti processerunt, ut omnes merces, quales Megaris importabantur, etsi inde non erant, Megaricas putarent atque publice venire curarent.[3])

Hoc quoque conici potest Athenienses tam graviter in Megarenses animadvertisse, quod, postquam antea socii fuerunt, anno 446 ab Atheniensibus defecerunt eorumque militibus trucidatis (Thuc. I 114,1) eos vehementissime exacerbaverunt, atque inde ab hoc anno putaverim ab Atheniensibus in Megarenses ita animadversum fuisse, ut describit Aristoph. Ach. 517/22.

---

[1]) Kershaw falso ex ipsa parva comici auctoritate vetat quicquam ex comoedia de historia concludi, quod aliunde notum non est, et in eo quoque plane errat, quod et hos versus et posteriores ad unum id populiscitum refert, quo constitutum est ‚Handelssperre', quamquam de duplici rerum statu agi ut ex toto loco ita ex versu maxime 523 patet (cf. Busolt p. 812 adn., qui recte sic quoque censet: „Die Unterscheidung der beiden Stadien ist sicherlich keine bloße Erfindung des Aristophanes, denn der Dichter erfindet nur zu einem komischen Zweck").

[2]) Bene Steup etsi falso illo argumento supra a me refutato nisus: „schikanöse Anwendung allgemeinerer Bestimmungen". Recte quoque Ed. Meyer. Plane errat van Leeuwen v. 517/22 ad ‚Handelssperre', 530/8 ad ‚Landesverweis bei Todesstrafe' referens.

[3]) Huius rationis exemplum ex Demosthene affert Boeckh-Fraenkel, Staatsh. I [3](1886) p. 408.

§ 2.

De secundo populiscito Megarico.

Neque igitur in illis versibus agitur de Atheniensium eo populiscito Megarico, quod commemorat compluribus locis Thucydides, tradit enim I 67,4 in Lacedaemoniorum contione et alios Atheniensium iniurias questos esse et Megarenses, quod et alias iniurias ab Atheniensibus accepissent, et quod omnibus imperii Attici portibus et foro Attico contra foedus excluderentur, *καὶ ἕτερα οὐκ ὀλίγα διάφορα, μάλιστα δὲ λιμένων τε εἴργεσθαι τῶν ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀρχῇ καὶ τῆς Ἀττικῆς ἀγορᾶς παρὰ τὰς σπονδάς.* Tum I 139, 1/2 alteram Lacedaemoniorum lagationem, quae apud Athenienses eorum iniurias queritur, legimus, ne bellum exoreretur, postulavisse, ut irritum fieret id populiscitum, quo excludebantur omnibus imperii Attici portibus et foro Attico, *τὸ περὶ Μεγαρέων ψήφισμα, ἐν ᾧ εἴρητο αὐτοὺς μὴ χρῆσθαι τοῖς λιμέσι τοῖς ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀρχῇ μηδὲ τῇ Ἀττικῇ ἀγορᾷ.* Athenienses vero abnuunt, cum iis obiciunt, et quod coluerint fines sacros et agrum finibus non terminatum, et quod Atheniensium servos fugitivos apud se receperint. I 139, 4 Thucydides exponit consulentibus de ultimorum etiam legatorum postulatis Atheniensibus ex abolendo illo populiscito maxime visum esse pendere bellum. I 140, 3/5 vero Thucydides Periclem facit Atheniensibus suadentem, ne irritum reddant populiscitum Megaricum, et I 144, 2, ut respondeant Lacedaemoniis condicione quadam se passuros Megarenses *ἀγορᾷ καὶ λιμέσι χρῆσθαι.* Apparet Thucydidem his quinque locis spectare ad unum idemque populiscitum, quo Megarenses omni totius imperii Attici commercio exclusi sunt, vel ut vernacule loquar, constitutum est ‚völlige Handelssperre (Einfuhr und Ausfuhr) im Gebiet des attischen Reichs'.

Ad idem populiscitum Ephorum quoque spectare apud Diodorum XII 39, 4/5 et Plutarchum Per. XXIX 2/3, XXX 1 sequitur ex eo, quod et idem his locis constitutum esse dicitur et alia quoque omnia item sese habent, quae narrantur.[1])

Improbo Dunckeri sententiam, qui censet hoc populiscito praeterea eos Megarenses, qui in Attica erant, expulsos, Megarenses mysteria frequentare vetitos, Anthemocritum ad portam Thriasiam sepeliri iussum esse, bis enim illud solum constitutum esse traditur apud Thucydidem idemque apud ceteros scriptores.

Sed ad locum priorem animum advertamus, Thuc. I 42, 2/3: *τὸ μέλλον τοῦ πολέμου ᾧ φοβοῦντες ὑμᾶς Κερκυραῖοι κελεύουσιν ἀδικεῖν*

---

[1]) Complura scholia, quae spectant ad id populiscitum, infra p. 38 sq. enumerabuntur.

ἐν ἀφανεῖ ἔτι κεῖται, καὶ οὐκ ἄξιον ἐπαρθέντας αὐτῷ φανερὰν ἔχθραν ἤδη καὶ οὐ μέλλουσαν πρὸς Κορινθίους κτήσασθαι, τῆς δὲ ὑπαρχούσης πρότερον διὰ Μεγαρέας ὑποψίας σῶφρον ὑφελεῖν μᾶλλον (ἡ γὰρ τελευταία χάρις καιρὸν ἔχουσα, κἂν ἐλάσσων ᾖ, δύναται μεῖζον ἔγκλημα λῦσαι). Haec est pars eius orationis, quam Corinthiorum legatos, qui Athenienses Corcyraeis se applicare prohibere volunt, Thucydides facit habentes. In qua Corinthii exponunt Atheniensibus magis e re esse, si bello adhuc incerto non perterriti cum Corinthiis inimicitias praesentes sibi non parent, sed suspicionis, quam Corinthii in Athenienses propter Megarenses habeant, partem Corinthiis evellant, scilicet cum Corcyraeis non obsequantur, nam posse posteriore gratia quamvis parva, quae in tempore reddatur, priorem culpam vel maiorem resarciri. Ita enim hunc locum interpretandum censeo, quem tribus vel quattuor modis intellexerunt viri docti, ut Steup dilucide exponit, 1) primum enim *ὑποψίαν* relatum esse ad Athenienses et tum spectare ad auxilium, quod Corinthii praestiterint Megarensibus a se anno 446 desciscentibus (Thuc. I 114,1), *τελευταίαν* vero *χάριν* esse, quod in bello Samio 440/39 Atheniensibus faverint (Thuc. I 40, 5; 41, 2), qua possit tolli illud *μεῖζον ἔγκλημα* propter res anni 446 natum: sic Classen, Holzapfel; Buedinger, qui *ὑποψίαν* Atheniensium esse censet, quae secuntur aliter explicat. 2) Tum posse *ὑποψίαν* intellegi Corinthiorum suspicionem e rebus ante annum 446/5 gestis ortam, quia tum Megarenses ab Atheniensibus contra Lacedaemonios et Corinthios socii facti adiutique sint (I 103, 4; 105, 3/106; 108, 2), idque *μεῖζον ἔγκλημα* putari posse resarciri, si tum Athenienses Corcyraeorum foedus non ineant (*τελευταία χάρις*). 3) Esse denique qui item ad Corinthios *ὑποψιάν* referant putentque id *μεῖζον ἔγκλημα* posse resarciri Corcyraeorum repulsa, sed ortam censeant eam suspicionem aut a) ex portoriorum vexationibus ab Atheniensibus in Megarenses factis: sic Schoell et Kershaw, qui spectant ad ea *ἕτερα οὐκ ὀλίγα διάφορα* (confer infra), quae queruntur Megarenses apud Thuc. I 67, 4; Busoltii quoque sententia hic afferenda est, qui cogitat de rebus ab Aristophane Ach. 517/23 commemoratis, quas tamen accipit de ‚Einfuhrverbot', aut b) ex ipso Periclis populiscito Megarico: sic ipse Steup.

Equidem censeo de Corinthiorum modo suspicione cogitari posse[1]) propter sententiarum nexum, est enim sensus verborum ‚*οὐκ ἄξιον*

[1]) Apparet Buedingerum qui existimat his verbis significare Corinthiorum legatos, si Athenienses repudient Corcyraeorum preces, se iis permissuros, ut Megaridem occupent, atque admonet de Philippi secundi, Hispanorum regis, ad papam litteris, hoc oblitum esse, etsi Athenienses tam obscuram atque ambiguam dicendi rationem e rerum condicione fortasse intellexissent, tamen Thucydidem ignoraturum non fuisse eos, quibus liber destinatus erat, sua verba non intellecturos esse.

ἐπαρθέντας αὐτῷ φανερὰν ἔχθραν ἤδη καὶ οὐ μέλλουσαν πρὸς Κορινθίους κτήσασθαι‘ hic: ‚nolite nos lacessere bello‘ — quare verbis contrariam sententiam significantibus ‚δὲ . . . σῶφρον . . . μᾶλλον‘ scriptor non dicat: ‚potius dimittite vestram in nos suspicionem et rectius de nobis iudicate‘, sed: ‚potius omnia, quae in nos peccastis, resarcite‘. Sed eos quoque improbo, qui mecum ad Corinthios ὑποψίαν referunt, sed ortam credunt ex rebus ante triginta annorum pacem gestis. Steup enim recte id monuit ita omnem rerum condicionem annis 446/5 commutatam esse, ut vix de rebus praecedentibus hic cogitare liceat. Atque hoc quoque pro mea sententia protulerim de illis rebus Corinthios loqui non potuisse, quoniam statim ab Atheniensibus iis opponi potuit has res secutam esse ipsorum Corinthiorum in Athenienses iniuriam auxilio illo factam. Restat ergo, ut dicam veri mihi esse simillimum spectare vocem ὑποψίαν ad illas portoriorum vectigaliumque vexationes[1]), de quibus Aristophanem Ach. 515/23 loqui supra intelleximus, quibus commoti putaverunt Corinthii velle Athenienses subigere Megarenses sibique nocere finium accolis. Sensus igitur his verbis magis in universum dictis subest: Si Corcyraeorum preces repudiabitis, id quod nunc maxime nostra interest, vobis ignoscemus, quod Megarenses amicos nostros ita vexastis.

Hoc quoque statim adiciatur inter illa ἕτερα οὐκ ὀλίγα διάφορα, quae praeter Atheniensium ipsum populiscitum queruntur Megarenses in Lacedaemoniorum contione apud Thuc. I 67, 4, fortasse easdem quoque vexationes fuisse, etsi praeterea multa eos protulisse veri est simile[2]), ut finium eas controversias similesve res, quae commemorantur 139, 2.

Sed redimus ad ipsum populiscitum. Iam quaerendum est, quando id populiscitum factum sit, quo Megarenses omni totius imperii Attici commercio privati sunt. Atque hoc meum non est demonstrare, quo in mense collocandum sit, cum maxime dissentiant inter se viri docti de harum rerum gestarum temporibus[3]), sed quem locum obtineat in ceteris eius temporis rebus atque factis. Ac primum quidem hoc tenendum est, id quod nemo vir doctus dubitavit, cadere populiscitum ante Corinthiorum, Aeginetarum, Megarensium, aliorum priorem illum conventum, qui Lacedaemone factus est auctoribus Corinthiis (Thuc. I 67,4).

Sed quaerimus, possitne accuratius finiri tempus huius populisciti, atque quoniam plurima hac de re scripserunt viri docti, non omnes

---

[1]) Neque enim de ipso Periclis populiscito Megarico hic iam cogitari posse ex temporum ratione infra demonstrabo.

[2]) Recte sic Schoell, qui intellegit in universum haec ‚Reibereien mit dem Nachbarländchen‘, et maxime Kershaw, qui cogitat de delatorum iniuriis.

[3]) cf. Busolt, Gr. Gesch. III2 (1904) p. 769 adn. 2 et 799 adn. 1.

eorum sententias exponam, sed breviter, quid sentiam, dicam. Atque sic puto instituendam totam quaestionem, ut videamus, quibus rebus ita exacerbatos esse Athenienses a Megarensibus veri simile sit, ut populiscitum illud sancirent.[1]) Atque historiam illius aetatis perquirentibus nobis duae occurrunt occasiones, in quibus Athenienses, ut gravius in Megarenses consulerent, commoveri potuerunt, dico anni 446/5 defectionem, ex qua vectigalium vexationes istas ortas esse supra coniecimus, ut hic non veniat in censum, tum auxilium, quod praestiterunt Corinthiis in bello Corcyraeo, etiam postquam Athenienses cum Corcyraeis *ἐπιμαχίαν* fecerunt, legimus enim apud Thucydidem, ut antea octo (I 27, 2), ita tum duodecim (I 46, 1) naves a Megarensibus Corinthiis missas, quae in pugna ad Sybota commissa contra Athenienses pugnaverunt (I 48, 4). Equidem putaverim eam Megarensium novam audaciam Athenienses vix impunitam sivisse, sed ultos esse populiscito illo, quo sanctum est, ut Megarenses omni commercio intercluderentur et in foro Attico et in omnibus totius imperii Attici portibus.[2]) Bene cum his congruit, quod ea pugna a Thuc. I 55, 2 prima Atheniensium et Corinthiorum discordiae causa facta esse dicitur, etsi ex eo ipso loco nondum cum Ullrichio, Holzapfelo, Dunckero, Kershawio, Busoltio concluserim populiscitum Megaricum postea esse collocandum, quoniam mirum illud Thucydidis silentium, qui populiscitum tum demum commemorat, cum Megarenses queruntur, ita explicandum censeo[3]), ut dicam secutus Ullrichium, qui bene commonet de 23 et 118, 1, Dunckerum, Schoellium, Kershawium Thucydidem consulto non fusius hac de re egisse, ut significaret se perspexisse Peloponnesiorum insidias et mendacia, qui hanc minoris momenti rem auxerant, et dissentire se a plebis credulitate, quae

---

[1]) Censeo frustra Ullrichium, Holzapfelum, Dunckerum, Kershawium ex ipsa Corinthiorum apud Athenienses oratione (I 37/43) cognoscere conatos esse tum nondum factum fuisse populiscitum. Nam ut Atheniensium hostes se esse negant, ita non amicos se esse concedunt (41, 1), id quod recte intellexit Steup. Accedit quod Busolt recte exponit Corinthios ut rogantes modeste et caute loqui decuisse neque nimis tribuendum esse eorum silentio. — Incertissima ea quoque argumenta sunt, quae traxerunt viri docti ex tempore postulatorum, quae miserunt Athenienses ad Potidaeatas aut ex voce *βάδην* (Ach. 535) aut ex messis tempore aut ex belli Samii tempore.

[2]) Recte sic Beloch.

[3]) Probatur mihi haec sententia propter differentiam maxime, quae intercedit inter Aristophanem, qui populiscitum veram belli causam esse putat, et Thucydidem, qui Periclem dicentem facit a Lacedaemoniis demum plurimum ei tributum esse (I 140, 3/5). Perperam Ullrich casu existimat Thucydidem de populisciti tempore tacuisse, sagacius Wilamowitz eum locum postea supplendum in relictis a Thucydide commentariis defuisse, quo de rebus Megaricis acturus fuerit. Perperam Steup opinatus est populiscitum tam breviter commemoratum esse, quia antecedat tempori *αἰτιῶν καὶ διαφορῶν*.

nobis offertur in Acharnensibus et in Pace. Quodsi cum Schoellio, Kershawio, Busoltio eius quoque rei rationem habemus, quod populiscitum Megaricum non nimio tempore ante bellum Peloponnesiacum collocandum est, quoniam bellum eo ortum dicitur, et ante Lacedaemoniorum illam contionem, paene facere non possumus, quin recte nos iudicasse credamus. Busolt recte demonstravit id quoque Athenienses egisse, ut ante belli initium subigerent Megarenses, quorum terram qui possiderent, plurimum intererat eorum, qui bellum gesturi erant, etsi exposui causam fuisse pugnam ad Sybota commissam. Non his opponi possunt, quae ab Atheniensibus alteri Lacedaemoniorum legationi responsa esse dicit Thuc. I 139, 2: *ἐπικαλοῦντες ἐπεργασίαν Μεγαρεῦσι τῆς γῆς τῆς ἱερᾶς καὶ τῆς ἀορίστου καὶ ἀνδραπόδων ὑποδοχὴν τῶν ἀφισταμένων.* Fieri enim potest, ut haec interim facta sint neque causae sint faciendi populisciti, sed retinendi solum, vel has Megarensium iniurias, quae spectabant ad religionem cultumque deorum, palam modo causam populisciti significaverunt. Factum igitur est populiscitum Megaricum inter pugnam ad Sybota commissam et Lacedaemoniorum contionem, in qua questi sunt Megarenses.

Iam quaeram, quis auctor huius populisciti exstiterit. Apud Thucydidem nihil hac de re cognoscimus,[1] ne apud Plutarchum quidem in Periclis vita hac de re legimus. Restant Acharnensium versus 530/4[2]):

ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης οὑλύμπιος
ἤστραπτ᾽ ἐβρόντα ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα,
ἐτίθει νόμους ὥςπερ σκόλια γεγραμμένους,
ὡς χρὴ Μεγαρέας . . .,

e quibus patet ipsum Periclem huius populisciti auctorem esse, Kershaw et Busolt ipsi quoque ita sentiunt.[3]) Accedunt complura scholia Aristophanea, quae partim fortasse ex ipsis Aristophanis verbis hausta sunt, quibus aperte Pericles huius populisciti auctor esse dicitur, schol. Ach. 527 (Duebn.): *τῇ μιᾷ τούτων ἐκέχρητο ὁ Περικλῆς· δι᾽ ἣν ὀργισθεὶς ἔγραψε τὸ κατὰ Μεγαρέων ψήφισμα, ἀπαγορεῦον δέχεσθαι αὐτοὺς εἰς τὰς Ἀθήνας,* schol. Ach. 532: *ἐπεὶ ὁ Περικλῆς γράφων τὸ ψήφισμα εἶπε Μεγαρέας μήτε ἀγορᾶς μήτε θαλάττης μήτ᾽ ἠπείρου μετέχειν,* schol. Pac. 609: *ἐπεὶ ψήφισμα περὶ τῶν Μεγαρέων ὁ Περικλῆς ἔγραψε, μήτε γῆς μήτε λιμένων αὐτοὺς ἐπιβαίνειν Ἀττικῶν, εἰ δὲ μή, τὸν ληφθέντα ἀγώγιμον εἶναι,* maxime vero Philochorus in schol. Pac. 605:

---

[1]) Errat Ullrich, qui colligit iam ex eo, quod Thucydide et Plutarcho auctoribus obstitit maxime Pericles, ne populiscitum tolleretur, eum auctorem quoque populisciti esse.

[2]) Ad hoc populiscitum, non ad Charini, quod fertur, Aristophanis versus referendos esse infra demonstrabitur.

[3]) Versum Pac. 605 variam admittere explicationem Busolt recte censet.

περὶ Μεγαρέων εἰπών, ὅτι καὶ αὐτοὶ κατεβόων Ἀθηναίων παρὰ Λακεδαιμονίοις, ἀδίκως λέγοντες εἴργεσθαι ἀγορᾶς καὶ λιμένων τῶν παρ' Ἀθηναίοις. οἱ γὰρ Ἀθηναῖοι ταῦτα ἐψηφίσαντο Περικλέους εἰπόντος. Contra hanc sententiam afferri possunt schol. emendat. Pac. 246 verba, legimus enim: *καὶ ὅτι πᾶσα ἡ τοῦ πολέμου πρόφασις δι' αὐτοὺς δοκεῖ γεγονέναι χάριν τοῦ* (Holzapfel, Unters. p. 183 et Wilamowitz, H. XIV 1879 p. 319 adn. 2, sine dubio recte, simul correxerunt in *Χαρίνου*) *τὸ πινάκιον συνθέντος τὸ κατ' αὐτῶν εἰς τὴν Περικλέους χάριν, ὥςτε μήτε γῆς μήτε λιμένων Ἀττικῶν ἐπιβαίνειν τοὺς Μεγαρεῖς.* Sed iam recte Kershaw et Busolt intellexerunt hoc populiscitum et Charini illud populiscitum, de quo legimus apud Plutarchum Per. XXX 2, quoniam similia utroque constituta et fere eodem tempore utrumque factum putabatur, facile confusa esse. Plutarchi Moral. V p. 96, 17 (Bernard.)[1]): *διὰ Χαρίνου τὸ κατὰ Μεγαρέων ἐκύρωσε ψήφισμα* (sc. *Περικλῆς*) ad tertium illud, quod traditur, populiscitum cum Kershawio et Busoltio referre placet.

§ 3.

De tertio, quod fertur, populiscito Megarico.

Sed apud Plutarchum Per. XXX 2 de Charini cuiusdam populiscito legimus, quo haec quoque constituta sint,

a) ut implacabile bellum Megarensibus esset cum Atheniensibus,
b) ut quicumque Megarensis terram Atticam intrasset, is capite multaretur,
c) ut praetores iurarent se bis quotannis in Megaridem invasuros,
d) ut Anthemocritus ad portam Thriasiam sepeliretur,

ἄσπονδον μὲν εἶναι καὶ ἀκήρυκτον ἔχθραν, ὃς δ' ἂν ἐπιβῇ τῆς Ἀττικῆς Μεγαρέων θανάτῳ ζημιοῦσθαι, τοὺς δὲ στρατηγούς, ὅταν ὀμνύωσι τὸν πάτριον ὅρκον, ἐπομνύειν, ὅτι καὶ δὶς ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὴν Μεγαρικὴν ἐμβαλοῦσι· ταφῆναι δ' Ἀνθεμόκριτον παρὰ τὰς Θριασίας πύλας, αἳ νῦν Δίπυλον ὀνομάζονται. Maximae difficultates oriuntur, si, quid sit vel num fuerit hoc populiscitum, quaerimus, atque pars virorum doctorum Charini populiscitum omnino non fuisse dicit.

Ac primum quidem contra Holzapfelum[2]), qui hanc difficultatem

---

[1]) His locis, quibuscum non pugnent illi, quibus Pericles ipse auctor dicatur, qui Charinum impulerit, ut rogationem ferret', Holzapfel censet probari sententiam suam, qua idem esse putat Charini populiscitum et id, quo constitutum est ‚Handelssperre', quam falsam esse infra exponam. — Hoc quoque monendum est, si Pericles non ipse legem ferre ausus esset, sed alio usus esset, Aristophanem in Ach. has insidias exponere neglecturum vix fuisse.

[2]) Holzapfel in universum assentientem habet Dunckerum, qui in eo solum ab illo dissentit, quod censet populiscito illo, quo privati sunt Megarenses omni iure commercii, cuius ipse quoque Charinum putat auctorem, alia etiam graviora constituta esse.

invenisse sibi visus erat, quod populiscitum quibusdam de causis in bello[1]), quibusdam ante bellum collocandum esset, et denique eo perduxerat disputationem, ut statueret illud Charini populiscitum idem esse atque ‚Handelssperre' atque perperam auctum esse postea illud prius populiscitum, Kershaw recte demonstravit ex eo, quod paulo ante Charini populiscitum caduceator missus dicitur, non sequi iam ante bellum collocandum esse neque inter se pugnare Plutarchi verba. Distinguendi enim sunt legati (*πρέσβεις*) et caduceatores (*κήρυκες*), et apud Thuc. I 145 de ultimis legatis modo legimus, cum caduceatores etiam postea in bello missos cum ex I 146 tum ex II 1 sequatur. Quod II 12 narrantur Athenienses non recepisse Lacedaemoniorum caduceatorem, quia Pericle auctore constitutum esset, simulatque Lacedaemonii profecti essent, repudiare omnes caduceatores vel legatos, inde non sequitur Athenienses ne ipsos quidem misisse in bello legatos vel caduceatores. Hac demonstrandi ratione concidunt ea quoque, quibus Holzapfel demonstrare conatus est ante alteram atque etiam ante primam Lacedaemoniorum legationem collocandam esse Anthemocriti missionem, unde ille colligit idem esse Charini populiscitum atque id, quo Megarenses privati sunt omni iure commercii.

Gravissimum vero pro Plutarcho argumentum protulisse sibi visi sunt Cobet et Krech, qui aperte demonstrarunt sapere ea, quae ille exponat de Charini populiscito, veterum legum sermonem. Sed etiam si recte existimant ex Cratero illum hausisse, negabo iam hinc sequi revera factum esse Charini populiscitum, quoniam cogitari potest falsa atque ficta quoque populiscita Craterum *συναγωγῇ* suae inseruisse.[2])
Quare, siquid dilucide demonstrari potest credibile non esse, quod affert Plutarchus de eo populiscito, ei fidem non habebo.

Sed alii viri docti ita instituerunt disputationem suam, ut quaererent, num quae ex iis, quae a Plutarcho Charini populiscito constituta narrantur, postea perfecta esse demonstrari posset, ut inde efficeretur verum Plutarchum memoriae prodidisse, atque putaverunt id sibi contigisse. Cobet enim recte exposuit Pausaniam I 36, 3 narrare vidisse se aliquod Anthemocriti sepulcrum eiusque caedis a Megarensibus factae eandem causam proferre atque Plutarchum: *ἰοῦσι δὲ ἐπ᾽ Ἐλευσῖνα ἐξ Ἀθηνῶν ἣν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν ὁδὸν ἱεράν, Ἀνθεμοκρίτου πεποίηται μνῆμα. ἐς τοῦτον Μεγαρεῖσίν ἐστιν ἀνοσιώτατον ἔργον, οἳ κήρυκα ἐλθόντα, ὡς μὴ τοῦ λοιποῦ τὴν χώραν ἐπεργάζοιντο, κτείνουσιν Ἀν-*

---

[1]) Hoc iam Ullrich ex Thuc. VII 18 recte conclusit binas illas irruptiones anniversarias constitui non potuisse nisi in bello.

[2]) Confer Christ, Gesch. d. gr. Lit. [4]1905 p. 578 adn. 6: „Daß sich Krateros vor Aufnahme von Fälschungen nicht hütete, zeigt die Urkunde über den Kimonischen Frieden bei Plut. Kim. XIII", Busolt, Gr. G. III 1 p. 346 adn. 2, Poehlmann, Gr. G. [3]p. 116; aliter Ed. Meyer, G. d. A. III p. 618.

θεμόκριτον· καὶ σφισι ταῦτα δράσασι παραμένει καὶ ἐς τόδε μνήμη ἐκ τοῖν θεοῖν, οἷς οὐδὲ Ἀδριανὸς ὁ βασιλεὺς ὥστε καὶ ἐπαυξηθῆναι μόνος ἐπήρκεσεν Ἑλλήνων. 4. μετὰ δὲ τοῦ Ἀνθεμοκρίτου στήλην . ., atque iam Philippus rex Macedonum in epistula [Demosth. XII] 4 statuae mentionem facit propter Anthemocriti caedem ante portam collocatae nec non Isaeus apud Harpocrationem s. v. *Ἀνθεμόκριτος* Anthemocriti statuam novit.[1]) Quamquam non inde iam sequi censeo Plutarchum de illo populiscito omnia vera referre, sed aliter fortasse rem sese habere.

Sed praetorum illud iusiurandum Charini populiscito constitutum esse Thucydidis verbis demonstrari viri docti inde ab Ullrichio semper dixerunt, legimus enim II 31, 1; 3 exeunte primo belli anno Athenienses Pericle ipso duce in Megaridem invasisse atque maximam terrae partem vastasse et quotannis in bello tales irruptiones esse factas, dum Nisaea capta est (424/3 secundum Thuc. IV 69): *περὶ δὲ τὸ φθινόπωρον τοῦ θέρους τούτου Ἀθηναῖοι πανδημεί, αὐτοὶ καὶ οἱ μέτοικοι, ἐσέβαλον ἐς τὴν Μεγαρίδα Περικλέους τοῦ Ξανθίππου στρατηγοῦντος,* atque infra 3: *δῃώσαντες δὲ τὰ πολλὰ τῆς γῆς ἀνεχώρησαν· ἐγένοντο δὲ καὶ ἄλλαι ὕστερον ἐν τῷ πολέμῳ κατὰ ἔτος ἕκαστον ἐσβολαὶ Ἀθηναίων ἐς τὴν Μεγαρίδα καὶ ἱππέων καὶ πανστρατιᾷ, μέχρι οὗ Νίσαια ἑάλω ὑπ' Ἀθηναίων,* atque IV 66, 1 Thucydides etiam hoc tradit bis quotannis Athenienses in Megaridem invasisse: *τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους Μεγαρῆς οἱ ἐν τῇ πόλει πιεζόμενοι ὑπό τε Ἀθηναίων τῷ πολέμῳ, αἰεὶ κατὰ ἔτος ἕκαστον δὶς ἐσβαλλόντων πανστρατιᾷ ἐς τὴν χώραν . . .* Atque optime cum iis consentiunt Aristophanis Ach. versus 761/3:

Δικ. οὐδὲ σκόροδα; Μεγ. ποῖα σκόροδ'; ὑμὲς τῶν ἀεί,
ὄκκ' ἐσβάλητε, τῶς ἀρωραῖοι μύες
πάσσακι τὰς ἄγλιθας ἐξορύσσετε,

quia hic quoque commemorantur crebrae irruptiones ac terrae populatio (confer van Leeuwen p. XIII adn. 2). Sed recte iam Holzapfel et Duncker exposuerunt fieri potuisse, ut non populiscitum antecederet irruptionibus, sed quasi irruptiones populiscito, vel ut ex illis locis Thucydideis colligeretur demum populiscitum. Neque facere possum, quin contra Kershawium concedam fortasse aliquem causam binarum irruptionum anniversariarum indagantem in certo quodam populiscito Atheniensium belli gerendi rationem positam esse opinatum, atque Buedinger[2]) recte censuit satis mirum esse Thucydidis de Anthemocriti caede silentium, quae populiscito illi antecessisse dicatur, et credibile non esse[3]) Thucydidem II 31 et IV 66, ubi facultas data

---

[1]) cf. Suidam quoque s. v. et [Demosth.] XIII 32 et Bekk. Anecd. Gr. 403, 29.

[2]) Aliis argumentis adductus non prorsus ficta Plutarchi verba censet, sed existimat Charinum eiusmodi rogationem tulisse, quae non sit perlata.

[3]) Sic Holzapfel quoque.

erat, neglexisse eius populisciti, quo constituta erat illa ratio belli gerendi, si modo erat constituta, facere mentionem.

Neque vero quisquam interpretum omnium illam legem, ‚ut quisquis Megarensis terram Atticam intrasset, capite multaretur‘, valuisse ex scriptoribus demonstrare conatus est neque censeo fore, ut contingat ei, qui conabitur. Immo certe ex scriptoris cuiusdam verbis demonstrare me posse spero, quod a Plutarcho memoriae proditur Megarenses ab Atheniensibus cum capitis periculo vetitos esse intrare Atticam, id nihili esse. Valde enim miror nondum eos Aristophanis Acharnensium versus a viris doctis adhibitos esse ad diiudicandam hanc quaestionem satis intricatam, ex quibus nova lux toti rei plenae difficultatis afferri mihi videtur.

Postquam enim Dicaeopolis, agricola ille Atticus, per Amphitheum cum Lacedaemoniis sibi et suis pacem fecit (130/2, 176/203) atque Peloponnesiis, Megarensibus, Boeotiis commercii libertatem dedit (623/5, 720/2), civem aliquem Megarensem Aristophanes in scaenam producit, qui dato iure commercii statim usus Athenas venit, ut vendat filias commutetque allium et salem. Vix hic advenit, cum statim appropinquat delator, qui non agnoscit pacem inter hostes et Dicaeopolin factam. Quae cum ita sint, equidem censeo ex ea ratione, qua utitur delator in Megarensem, atque e tota eius et Megarensis altercatione cognosci posse, quae leges in bello Peloponnesiaco Athenis valuerint de Megarensibus. Atque hoc unum statim apparet a delatore isto Megarensem non deferri, quod intravit terram Atticam, sed quod importavit in Atticam merces Megaricas, dico filias suas, quas porcellarum in modum exornavit. Nam postquam ex Megarensi, quis esset, quaesivit isque Megarensem se esse venditorem professus est, delatorem non eum potissimum, quia omnino adest in Attica, sed primum mercem, quam ille importavit, tum demum eum ipsum, idque, quod porcellas importavit, deferre his ex verbis (819/20) patet:

τὰ χοιρίδια τοίνυν ἐγὼ φαίνω ταδὶ
πολέμια καὶ σέ.

Atque in versu 822 saccum, in quo insunt porcellae, ut mittat, maxime delator flagitat atque postulat:

κλάων μεγαριεῖς. οὐκ ἀφήσεις τὸν σάκον;

Neque vero usquam ulla vox exstat, qua significet poeta ob eam ipsam rem a delatore accusari Megarensem, quod omnino ipse venit in Atticam. Accedit, atque hoc summum posui argumentum, quod delator Megarensi in Attica moranti non mortem minitatur. Persuasum vero mihi est Aristophanem, si modo constitutum erat Charini vel

cuiusquam populiscito, ‚ut quisquis Megarensis terram Atticam intrasset, capite multaretur', non neglecturum fuisse istius poenae mentionem facere. Nam et summa vi comica hos versus instruxisset, si Megarensem illum misellum et vehementissima fame profligatum morte multatum iri significasset ob id solum, quod intravit Atticam, et simul summum belli crudelitatis odium et pacis desiderium spectatoribus intulisset, quod ut efficeret, totam fabulam poeta composuit. Multo efficacius delator Megarensis verbis ‚*χοιροπώλας μεγαρικός*' responderet: ‚quid? statim mortuus eris!', cum legamus verba multo languidiora:

τὰ χοιρίδια τοίνυν ἐγὼ φαίνω ταδὶ
πολέμια καὶ σέ.

Hoc quoque tenendum est Aristophanem in Acharnensibus facere Megarenses non alia condicione esse quam Atheniensium hostes omnes. Iam cum Dicaeopolis ius commercii Megarensibus dat, una cum Megarensibus et Peloponnesii et Boeotii enumerantur, legimus enim 623/5:

ἐγὼ δὲ κηρύττω γε Πελοποννησίοις
ἅπασι καὶ Μεγαρεῦσι καὶ Βοιωτίοις
πωλεῖν ἀγοράζειν πρὸς ἐμέ, Λαμάχῳ δὲ μή

et similiter 719 22:

ὅροι μὲν ἀγορᾶς εἰσιν οἵδε τῆς ἐμῆς.
ἐνταῦθ' ἀγοράζειν πᾶσι Πελοποννησίοις
ἔξεστι καὶ Μεγαρεῦσι καὶ Βοιωτίοις,
ἐφ' ᾧτε πωλεῖν πρὸς ἐμέ, Λαμάχῳ δὲ μή.

Atque item tota res de Boeotio illo, qui post Megarensem in scaenam producitur, se habet ut de Megarensi. Iisdem enim fere verbis delator alter Boeotium alloquitur, quibus iste prior Megarensem, legimus enim de Megarensi (818/20):

Συκ. ὤνθρωπε ποδαπός; Μεγ. χοιροπώλας μεγαρικός.
Συκ. τὰ χοιρίδια τοίνυν ἐγὼ φαίνω ταδὶ
πολέμια καὶ σέ,

de Boeotio:

910 *Νικ. ταυτὶ τίνος τὰ φορτί' ἐστί; Βοι. τῷδ' ἐμά*
911 *Θείβαθεν ἴττω Δεύς. Νικ. ἐγὼ τοίνυν ὁδὶ*
912 *φαίνω πολέμια ταῦτα . . . .*
914 *καὶ σέ γε φανῶ πρὸς τοῖσδε.*

Atque hoc potissimum ex iis versibus, quos modo attuli, apparet Megarensis merces iam non ut supra 522, quia Megaricae, sed aeque atque Boeotii, quia hostium sunt, deferri, exstat enim 820 et 912 *πολέμια*, non ut 522 *μεγαρικά*. Neque mirum hoc est, ante enim belli initium Megarenses alia condicione fuerunt atque Peloponnesii et Boeotii, cum iam iure commercii toto imperio Attico carerent illi, non hi. Bello autem coorto consentaneum est atque longum pluribus exponere per se omnes hostes pariter commercio exclusos fuisse. In eo solum Megarensium condicio valde differt a Boeotiorum et Peloponnesiorum, quod Megarenses propter patriae naturam ac situm vehementius aliis premebantur adempto iure commercii, atque velim conferas hac de re Busoltium III2 p. 810 sqq.

Postquam Aristophanem illud Charini populiscitum de ‚Landesverweis bei Todesstrafe' non nosse, potius omnino factum non esse demonstravimus, statim apparet populiscitum, quod commemorat Aristoph. Ach. 530/4 idem esse atque id, cuius mentionem saepius facit Thucydides, spectant ergo hi versus ad id populiscitum, quo exclusi sunt Megarenses omni totius imperii Attici iure commercii[1]). Supra (§ 1) nondum tam certe de hoc Acharnensium loco iudicare licebat, neque enim quicquam statueramus nisi de alia re agi 530/4 atque 515/22. Nunc intellegis meo iure hos versus me supra enumerasse in iis locis, quibus demonstrarem Periclem eius populisciti, quo factum est ‚Handelssperre', fuisse auctorem. Accedit quod de populiscito versibus 530/4 exposito item ut de illo Thucydidis refertur Megarenses fame pressos Lacedaemonios, ut liberarentur, adisse, Athenienses recusasse, eam Atheniensium pertinaciam belli causam esse factam, conferas enim Aristoph. Ach. 535/9 cum Thucydide.

Quaerentibus, cur tam incerte atque ambigue comicus poeta, quae populiscito constituta sunt, significaverit, respondet scholiasta Ravennas in versum 532, qui adnotat in verba ‚*ἐτίθει νόμους ὥσπερ σκόλια γεγραμμένους*' haec (sequor Duebnerum): *Τιμοκρέων δὲ ὁ Ῥόδιος μελοποιὸς τοιοῦτον ἔγραψε σκολιὸν κατὰ τοῦ πλούτου, οὗ ἡ ἀρχή*

‚ὤφελές, ὦ τυφλὲ Πλοῦτε,
μήτε γῇ μήτ' ἐν θαλάττῃ
μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανῆναι,
ἀλλὰ Τάρταρόν τε ναίειν
κἀχέροντα· διὰ σὲ γὰρ
πάντ' ἐν ἀνθρώποις κακά.'

τούτοις ἔοικε καὶ τὰ ὑπὸ Περικλέους εἰσηγηθέντα, ἐπεὶ ὁ Περικλῆς γράφων τὸ ψήφισμα εἶπε Μεγαρέας μήτε ἀγορᾶς μήτε θαλάττης μήτ'

---

[1]) Perperam igitur van Leeuwen ad ‚Landesverweis' eos rettulit.

ἠπείρου μετέχειν. ἐπεὶ οὖν ὅμοια τοῖς Τιμοκρέοντος ἔγραφε, διὰ τοῦτο εἶπεν ὅτι ἐτίθει νόμους ὥσπερ σκολιὰ γεγραμμένους. Sequitur ergo poetae in considerando populiscito in mentem venisse huius Timocreontis[1]) cantici convivalis tum notissimi. Item enim ut in populiscito Megarico Megarenses foro Attico i. e. terra atque omnibus imperii Attici portibus i. e. mari expelluntur, in cantico illo convivali Plutus et terra et mari. Scilicet poeta crimini dat Pericli, quod crudeliter se gesserit in administranda re publica atque inepte, quasi versaretur in convivio.[2])

Intelleximus igitur, quae Plutarchus Charini populiscito constituta esse narrat, partim omnino ficta esse (‚Landesverweis bei Todesstrafe'), partim suspiciosa (praetorum iusiurandum), partim fortasse per errorem huc translata (Anthemocriti necati sepulcrum) infra probabo.

Restat, ut quaeram, quomodo orti sint ii errores de Charini quodam populiscito, qui apud Plutarchum inveniuntur. Atque concedo difficillimam esse hanc quaestionem ad diiudicandum et diverse fortasse singula sese habere. Neque vero ullis in argumentis posita mihi videtur Buedingeri sententia, qui, si recte eum intellego, censet latam esse Charini rogationem, non perlatam. Iam supra cum Holzapfelo et Dunckero commonui illum de iureiurando errorem ex eo oriri potuisse, quod quoque belli anno factae sunt binae Megaridis irruptiones. Sed quae de implacabili bello et de necandis iis Megarensibus legimus, qui intraverint Atticam, idem Holzapfel iam diu recte intellexit fortasse nata esse, siquis perperam explicavit Aristophanis Acharnensium haec verba:

μήτε γῇ μήτ᾽ ἐν ἀγορᾷ
μήτ᾽ ἐν θαλάττῃ μήτ᾽ ἐν οὐρανῷ μένειν,

satis enim ambigua haec esse verba modo exposui neque nisi quis postea et historiam ipsam et Timocreontem novit, intellegere omnino potuit. Quod patet fere ex schol. Ach. 527: *τὸ κατὰ Μ. ψήφισμα, ἀπαγορεῦον δέχεσθαι αὐτοὺς εἰς τὰς Ἀθήνας,* ex schol. Pac. 246: *μήτε γῆς μήτε λιμένων Ἀττικῶν ἐπιβαίνειν τοὺς Μεγαρεῖς,* ex schol. Pac. 609: *μήτε γῆς μήτε λιμένων αὐτοὺς ἐπιβαίνειν Ἀττικῶν, εἰ δὲ μή, τὸν ληφθέντα ἀγώγιμον εἶναι.* Accedit quod ipsum populiscitum fortasse ita scriptum fuit, ut posteris temporibus perperam intellegi posset, velut si dictum fuit *‚εἴργεσθαι τῶν ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀρχῇ λιμένων καὶ τῆς Ἀττικῆς ἀγορᾶς'*, ut supplenda modo essent verba ‚commercii causa'. Sed si cui displicet haec demonstrandi ratio, dico hoc quoque cogitari posse prorsus alterius aetatis leges ad hoc tempus relatas esse,

---

[1]) cf. Bergk, P L G [4]III (1882) p. 540.

[2]) Falso Duncker ad inusitatam quandam et poeticam dicendi rationem, qua scriptum fuerit populiscitum, Aristophanis verba refert.

id quod de Anthemocriti maxime sepulcro fortasse est dicendum[1]), nisi omnino fictam esse huius caedem putamus, ut explicaretur sepulcrum quoddam Anthemocriti, quod erat Athenis. Ut vero demonstrem, quam incertis nitamur testimoniis, hoc quoque dignum videtur memoratu, quod in illa Philippi epistula dicuntur Megarenses a populo Atheniensi mysteriis exclusi propter Anthemocriti caedem (fortasse huc spectat schol. Aristoph. Nub. 302, quod explicare nequit Meiners p. 373), id quod non legitur apud Plutarchum.

---

[1]) Sic Ed. Meyer.

Caput III.

De Eupolidis Demis.

Putaverant multi plura de Eupolidis *Δήμοις* sciri posse quam de omnibus fere huius poetae fabulis, cum vir doctus U. von Wilamowitz in libro illo, quem conscripsit ,de Aristotele et Athenis' I (1893) p. 179 adn. 84 haec exposuit: „Leider weiß ich sehr viel weniger jetzt von den Demen, als ich vor 20 Jahren wähnte, und ich kann ihr Verständnis wesentlich nur dadurch fördern, daß ich Scheinwissen zerstöre und Schwierigkeiten aufzeige." Ac mihi quidem statuendum videtur aliis de rebus ad Demos pertinentibus paulo plura, de aliis multo etiam pauciora, si accurate denuo testimonia et fragmenta examinaverimus, nos sciturос.

Index librorum.

Valckenaer, Diatribe in Eurip. prdtrm. dramat. rell. 1767; post editionem Eurip. Hipp. i.

Elmsley, Eurip. Medeae edit., annotat. p. 147 ed. Lips. (1822) = p. 146 edit. Oxon. (1818).

Lucas, Cratinus et Eupolis, Bonnae 1826.

Meier, Allg. Litztg. 1827, vol. II.

Runkel, Pherecratis et Eupolidis fragmenta, Lips. 1829.

Raspe,[1]) De Eupolidis *Δήμοις* ac *Πόλεσιν*, Lips. 1832.

G. Hermann, Excerpta ex censura Henr. Raspii commentationis de Eup. *Δ.* ac *Π.*, opusc. V 1834, p. 289 sqq.

Sintenis, Plutarchi Pericles, rec. et commtriis. suis illustr., Lips. 1835.

Bergk, Commentat. de rel. com. Att. ant., 1838.

Meineke, F C G, edit. mai. 1839/57.

Bothe, Poetarum com. Gr. frgmta., 1855.

Gustav Gilbert, Btrge. zur inn. Gesch. Athens im Ztaltr. d. pelop. Krgs., 1877.

Kock, C A F, 1880/8, cuius numeros sequor in afferendis fragmentis.

Muhl, Zur Gesch. d. alt. att. Kom., Augsb. Progr. 1881.

Brandes, Obsrvtnes. crit. de cmdrm. aliquot Attcrm. tmprbs., Diss. Rostoch. 1886.

Dénis, La comédie grecque I, 1886.

Zelle, De cmdrm. Grcrm. saec. quint. ante Chr. n. actrm. tmprbs. defin., Diss. Hal. Sax. 1892.

Couat, Aristophane et l'ancienne com. att. ²1892.

von Wilamowitz, Aristoteles und Athen I 1893.

M. Croiset, Histoire de la litt. grecque III ²1899.

Kaibel, P.-Wiss. VI 1 s. v. Eupolis, 1233 sqq.

---

[1]) Cum hic liber praesto mihi non esset, usus sum G. Hermanni ,excerptis etc.'.

§ 1.

De personis et scaena.

Primum dicam de iis, quos ab inferis excitavit Eupolis in Demis. Progrediendum est a scholio in Aelium Aristidem vol. III p. 672, 4 (W. Dindf. 1829), ubi legimus[1]: *Εὔπολις ἐποίησεν ἀναστάντα τὸν Μιλτιάδην καὶ Ἀριστείδην καὶ Γέλωνα καὶ Περικλέα.*

Atque de Miltiade, Aristide, Pericle omnes viri docti assenserunt, quorum nomina etiam fragmentis confirmantur, neque enim fr. i 90 verba dici possunt nisi a Miltiade, quem quis in fr. o 100 alloquitur simul cum Pericle, quem iis locis, quibus inveniuntur fr. a 93 et 98, in scaenam productum esse Plutarchus auctor est, ut Aristidem ad fr. 91 Galenus.

Sed de quarto illo maxima exstitit dubitatio, neque enim ullus retinuit traditam lectionem *Γέλωνα*, sed alia nomina proposita sunt. 1) Ac primum quidem Valckenaer p. 252 coniecit *Σόλωνα* eumque omnes fere viri docti secuti sunt, ut Lucas p. 92, Runkel p. 106/7, Raspe, G. Hermann p. 292, Sintenis p. 67, Meineke I p. 126, II ad Eup. fr. XIII, Bothe p. 161, Kock I p. 279, Muhl p. 28, Brandes p. 22, Dénis p. 183, Zelle p. 45, Couat p. 139, M. Croiset p. 587, dubitanter Kaibel. 2) Tum Elmsley *Κίμωνα* proposuit scribendum, 3) G. Gilbert p. 224/5 *Μυρωνίδην* praetulit. 4) Denique von Wilamowitz p. 179 adn. 84 deliberat, sitne pro *Γέλωνα* emendandum *Σόλωνα* an *Κλέωνα*[2]), quam sententiam retinuisse et nunc *Κλέωνα* etiam praeferre videtur (Gr. Lesebuch I Text, 1902, p. 70). Exponendum mihi est, quibus argumentis nisi haec *Σόλωνα, Κίμωνα, Μυρωνίδην, Κλέωνα* proposuerint viri docti, et quaerendum, utrum una ex his sententiis nobis sequenda sit necne.

Incipiam a Wilamowitzii *Κλέωνα*: legi enim in compluribus codicibus *Κλέωνα*, et quamquam vivus Cleon ab Eupolide non minus quam ab Aristophane vexatus sit, fieri tamen potuisse, ut de mortuo iudicium mutaret; „der aufrichtige und energische Demokrat hätte gegen die *ξυνωμόται* von 416 auch gute Dienste leisten können". Neque vero Wilamowitzium sequi possum. Neglexit enim rationem habere loci Aelii Aristidis vol. II p. 342 (W. Dindf. 1829), ubi legimus: *Περικλῆς γε καὶ τεθνεὼς ἐκράτει Κλέωνος, εἰ δεῖ τἀληθὲς εἰπεῖν.*

---

[1]) Hic statim reicio Muelleri Strubingensis sententiam (Aristoph. u. d. histor. Kritik 1873, adn. p. 286/7), qui nullo certo argumento nisus propter fr. 91 K. *Πόλεων* chorum ab Aristide et Cimone introductum opinatur, cum demonstrari non possit in Civitatibus quoque mortuos in scaenam ductos esse. Quod si ita se haberet, ut de loco supra exscripto ita de aliis quoque dubitandum esset, sintne referendi ad Demos an ad Civitates.

[2]) Hoc iam Meier commendaverat, Allg. Litztg. 1827, vol II p. 141.

μέγα δὲ σημεῖον· τὸν μὲν γὰρ οὐδεὶς ἦν ὅστις οὐκ ἂν εὔξαιτο ἀναστῆναι, ὥστε κἂν τοῖς δράμασιν ὡς ἀνεστῶτα ὁρῶντες εὐφραίνοντο. τὸν δ' οὐκ ἔστιν ὅστις οὐκ ἂν ἐβούλετο ἀντ' ἐκείνου κεῖσθαι. τοσούτῳ κρείττων ἦν τεθνεὼς Περικλῆς ἐκείνου ζῶντος. Apparet haec non dici posse ab Aristide, si in eadem oratione ante (II p. 300) dixerit: *ὥσπερ τῶν κωμικῶν τις ἐποίησε τέτταρας τῶν προστατῶν ἀνεστῶτας* cogitans praeter Miltiadem, Aristidem, Periclem de Cleone. Accedit quod ex scriptura codicum argumentum sumere non licet, sed de codicibus infra fusius exponam.

Reicienda Gilberti quoque sententia mihi est, qui *Μυρωνίδην* censet esse eum, pro quo *Γέλωνα* legatur, nam etsi e vivo Myronide Periclem, num viveret filius, quaesivisse demonstrari non posse infra exponetur, tamen Gilberto obstare videtur ratio palaeographica, neque enim quisquam credet scribarum erroribus e *Μυρωνίδην Γέλωνα* ortum esse.

Elmsleium, quod proposuit *Κίμωνα*, vehementer errasse iam intellexerunt et demonstraverunt Suevern, Ü. Ar. Wo. 1826 p. 49 adn. 1 et Meineke I p. 126, nam Elmsley quod dicit hoc sequi ex Aristidis vol. II p. 314 (W. Ddf.), ubi coniunguntur nomina Miltiadis, Themistoclis, Periclis, Cimonis, statim refellitur loco eiusdem Aristidis vol. II p. 300, ubi haec dicit orator in Miltiadis, Themistoclis, Cimonis, Periclis iudicio: *φέρε γὰρ πρὸς θεῶν, εἰ καθάπερ τὸν Πρωτεσίλαόν φασι παραιτησάμενον τοὺς κάτω γεγενῆσθαι μετὰ τῶν ζώντων, ἢ καὶ ὥσπερ τῶν κωμικῶν τις ἐποίησε τέτταρας τῶν προστατῶν ἀνεστῶτας, ἐν οἷς δύο τούτων ἔνεισιν, οὕτως οἱ τέτταρες ἡμῖν οὗτοι, περὶ ἃν ἡ νυνὶ διαδικασία, ἀνάστασιν εὕροντο, ὥστε συγγενέσθαι Πλάτωνι μίαν μόνην ἡμέραν.* Duo enim ii ex illis quattuor, de quibus fiunt verba, secundum ea, quae supra exposuimus, sunt Miltiades et Pericles neque licet addere Cimonem[1]) tertium. Brandes p. 22 adnot. huic argumento alterum quoque addit, quo opus iam non est, negat enim consensuram esse hanc Cimonis laudem cum conviciis alibi illi ab Eupolide factis (Urb. fr. 208 K., schol. Aristid. vol. III p. 515 Ddf.).

Sed venio ad *Σόλωνα*, quem plurimi ex omnibus viris doctis, qui hanc quaestionem tractaverunt, ab Eupolide ex Orco arcessitum esse censuerunt. Atque quattuor inveni argumenta, quibus nisi viri docti Solonem induxerunt, Runkel p. 107 enim et Meineke I p. 126 provocant ad Platonium *περὶ διαφορᾶς χαρακτ.* (Kaibel, CGF I 1, 1899 p. 6, 84 sqq.), qui spectans ad Demos haec dicit de Eupolide: *ἀναγαγεῖν ἱκανὸς ὢν ἐξ Ἅιδου νομοθετῶν πρόσωπα καὶ δι' αὐτῶν εἰσηγούμενος*

---

[1]) Plane erravit scholiasta Aristideus quoque vol. III p. 672, 12 (Ddf.), qui ad verba *‚ἐν οἷς δύο τούτων ἔνεισιν‘* adnotat *‚Θεμιστοκλῆς καὶ Περικλῆς‘*, equidem suspicor errorem ortum ex eo, quod statim ex illis quattuor eliguntur in oratione Pericles et Themistocles (vol. II p. 300 med.)

ἢ περὶ θέσεως νόμων ἢ καταλύσεως, atque negant eum vocem *νομοθέται* adhibiturum fuisse, nisi Solo, qui apud Athenienses legum lator quasi per excellentiam sit, inter eos inductus fuisset. Tum Meineke I p. 127 admonet in Chironibus, de qua fabula cf. Kock I p. 82 sqq., a Cratino iam Solonem ab inferis excitatum fuisse. Denique von Wilamowitz l. l. adn. 84 exponit Solonem optime quadrare in fabulam, in qua Pisistrati partes fuerint (ita enim interpretatur fr. 123), et ita tandem aliquando intellegi posse verba illa fr. i 126: *Φορμίων μετὰ Σόλωνα ἄρξας*, si forte Solo Phormionem fortissimum atque belli peritissimum illum, quem Eupolis in Taxiarchis honoraverit, ut sui similem laudaverit. Sed examinemus haec argumenta. Ac primum quidem id, quod sumptum est ex voce *νομοθέται*, nihili esse statim intelleges, si omnes eos locos attulerimus, quibus quales ii quattuor viri fuerint, commemoratur. Legimus enim apud Aristidem vol. II p. 300 (Ddf.): *ὥςπερ τῶν κωμικῶν τις ἐποίησε τέτταρας τῶν προστατῶν ἀνεστῶτας*, apud Plutarchum Per. III 3: *ὁ δ' Εὔπολις πυνθανόμενος περὶ ἑκάστου τῶν ἀναβεβηκότων ἐξ Ἅιδου δημαγωγῶν*, apud Platonium legimus supra: *ἀναγαγεῖν ἱκανὸς ὢν ἐξ Ἅιδου νομοθετῶν πρόςωπα καὶ δι' αὐτῶν εἰςηγούμενος ἢ περὶ θέσεως νόμων ἢ καταλύσεως*. Iam apparet opus non esse inter eos unum fuisse, qui legum auctor celeberrimus fuerit, appellantur enim *προστάται* quoque et *δημαγωγοί*, qua vero re adductus sit Platonius, ut vocem *νομοθέται* eligeret, cognoscitur ex verbis ‚*δι' αὐτῶν εἰςηγούμενος ἢ περὶ θέσεως νόμων ἢ καταλύσεως*‘, ut iam Meier l. l. p. 141 recte intellexit. Ne id quidem pro Solone proferri potest, quod Cratinus eum ab inferis excitavit. Ad Wilamowitzii argumenta dicendum est, id quod ipse intellexit, certo rem demonstrari iis non posse. Itaque sic de lectione *Σόλωνα* censeo: Nullum viri docti adhuc attulerunt argumentum, quo demonstrari posset eorum sententia, sed aliter res se habet atque de lectionibus *Κίμωνα, Μυρωνίδην, Κλέωνα*, quas perperam excogitatas esse necessarie demonstrari potest, ut supra exposui, neque enim ullum argumentum est, quo certo refelli possit lectio *Σόλωνα*.

Sed aliam sententiam proferre mihi liceat. Neque enim mihi videtur lectio *Γέλωνα* quacumque ratione spernenda. At unam dubitationem statim reiciam, forsitan enim quispiam dixerit de Atheniensium solum ducibus hic cogitari posse ac commonuerit de locis supra exscriptis, quibus, quales fuerint illi quattuor, commemoratur.[1]) Neque vero nimis iis locis tribuendum est, nusquam enim expressis verbis legimus Athenienses eos fuisse et variae voces (*προστάται, δημαγωγοί,*

[1]) Fortasse addendus est locus depravatus in argum. Sophocl. Oedip. Colon., quo legitur de *στρατηγοῖς* in terram reductis. Sed quae ratio inter Demos et hunc locum difficillimum intercedat et inter hanc fabulam et Valer. Max. VII 2 ext. 7 et Aristoph. Ran. 1431/3, quaerendum mihi non proposui.

νομοθέται) usurpantur, ac si dicis priores illas duas voces de Atheniensibus solum adhibitas esse, tamen eum, in quem non cadebant, ‚a potiori‘, ut ita dicam, eadem voce qua ceteros tres significatum putaverim.

Ac primum quidem quaerendum est, quid exhibeant codices manu scripti. W. Dindorf (vol. III p. 672, 7) adnotat hoc scholium inesse in codicibus B et D et solam scripturam affert *Γέλωνα*. Meineke (ad fr. XIII) dicit: ‚In his pro *Σόλωνα* libri habent partim *Γέλωνα* partim *Κλέωνα*‘. Item von Wilamowitz (l. l. adn. 84) scribit: ‚*Γέλωνα* . . . In mehreren Handschriften habe ich dafür die Variante *Κλέωνα* gelesen, kenne aber die recensio der Scholien nicht.‘ Eximia Brunonis Keili Argentoratensis recentissimi Aristidis editoris liberalitate, cuius schedas hunc locum spectantes ad me benigne misit Alfred Koerte Gissensis, mihi licet veram hic exponere codicum varietatem. Atque scripsit ille haec: Exhibere Vaticanum R (cf. Keilianae editionis p. VII sqq.), qui maxime propinquus sit Arethae codici partimque gemellus sit putandus, *Γέλωνα*, idemque Vaticanum Q et Laurentianum T, neque Arethae codicem A Parisinum antiqua et continua scholia in hanc orationem habere neque magnos Marcianos. *Κλέωνα* sibi innotuisse ex Vaticano 77, codice recentiore, quem inutilem cognoverit ad ipsa verba Aristidis restituenda. Etsi codicum fides ac ratio in scholiis per se non eadem sit atque in verbis scriptoris ipsis, tamen se sibi adnotasse ‚jüngere Fassung‘, et denique sic iudicat: ‚Ich halte durch RQT, welche für diese Teile grundlegend für die Scholien werden bleiben müssen, *Γέλωνα* als allein für überliefert, *Κλέωνα* für byzantinische Konjektur.‘

Duobus igitur argumentis adductus sum, ut *Γέλωνα* servandum censeam. a) Ac primum quidem mirus quidam error librarii agnoscendus esset, si putaremus ex *ΣΟΛΩΝΑ* ortum esse *ΓΕΛΩΝΑ*; nam cum saepissime fiat, ut pro voce rariore iniciatur sollemnis, hic pro tritissimo Solonis illius nomine Gelonis nomen satis ignotum[1]) scriptum putaremus. Multo magis contrarium errorem accidere potuisse intelleges. Sed concedo explicari posse erroris originem; fortasse enim primum manus erravit alicuius librarii et scriptum est pro *ΣΟΛΩΝΑ* *ΣΕΛΩΝΑ*, quod quis tum corrigendum putavit in *ΓΕΛΩΝΑ*; vel hic fuit ordo vocum: *ΣΟΛΩΝΑ*-*ΓΟΛΩΝΑ*-*ΓΕΛΩΝΑ*. Atnonne multo magis exspectamus, postquam vitium prius natum est, restitutum esse nomen Solonis? b) Sed accedit ad rationem palaeographicam altera a sententia petita. Optime enim quadrare mihi videtur Gelon in fabulam *Δῆμοι*. Nam omnes viri docti ex fragmentis collegerunt hanc fabulam collocandam

---

[1]) Hoc enim contra me afferri non potest, quod etsi in eadem Aristidis oratione, tamen multis paginis ante fortuito Gelonis nomen legitur (vol. II p. 242 fin. Ddf.).

esse aut paulo post expeditionem Siciliensem aut paulo ante eam.[1]) Qua autem aetate nisi ea fieri potuit, ut Gelon a comico poeta Attico ab inferis in scaenam duceretur? Is vero nimium tribuerit casui homines vexanti et in errores seducenti, qui existimet nomen omnium fere notissimum in ignotum depravatum esse atque id, quod tam bene quadret in sententiam. Etsi certa colligere non licet ex frustulis comoediae, tamen in universum dici posse censeo, Gelonem ab inferis excitasse poetam, ut per eius verba emendaret civium mores et consilia, sive per defunctum ipsius civitatis adversariae regem Atheniensibus dissuasit expeditionem sive eius minis monitos voluit eos bellum parare summis opibus ac diligentius quam ante. Atque optime cum iis, quae exposui, consentiunt ea, quae scimus de Atheniensium animis bellum parantium et gerentium. Neque enim ante bellum accuratiora sciebant de magnitudine Siciliae aut de incolarum numero opibusque neque, cum bellum exortum erat, recte periculi magnitudinem intellexerunt, priusquam classis et exercitus deleta sunt anno 413.[2]) c) Fortasse tertium aliquid contra Solonem et pro Gelone proferri potest, etsi huic argumento minus tribuerim. Enumerantur enim a scholiasta viri excitati ab inferis hoc ordine: Miltiades, Aristides, tertius ille, quartus Pericles, floruit autem Aristides post Miltiadem, Pericles post Aristidem. Quae cum ita sint, fortasse exspectemus Solonem, si eius in fabula partes fuissent, scholiastam primo loco collocaturum fuisse, sed scholiasta eos fortasse attulit non secundum aetatem, qua floruerunt, sed secundum ordinem, quo Eupolis eos induxit.[3]) d) Sed cur poeta, si modo voluit Syracusanum ducem in scaenam inducere, elegit Gelonem? Fuitne is praeter ceteros dignus, qui has partes ageret? Ac primum quidem dicendum est Gelonem esse Dinomenidarum tyrannidis auctorem, tum maxime is semper a Syracusanis amatus et celebratus est.[4]) Hoc quoque memoratu dignum mihi videtur Gelonem, ut aut ipse vivus aut unus ex eius fratribus inferorum sacerdos fuerat,[5]) ita mortuum ut heroa cultum esse Syracusis,[6]) id quod discimus ex Diod. XI 38, 5: *ἐνταῦθα* (scilicet prope Syracusas) *δ᾽ αὐτοῦ ταφέντος ὁ μὲν δῆμος*

---

[1]) Etsi Niciae nomen in fr. 91, quo potissimum nisi sunt hac in re viri docti, non traditum esse infra exponam, tamen propter nonnullos alios in Demis commemoratos hi anni commendantur.

[2]) Cf. hac de re Busolt, Gr. G. III 2 p. 1283 cum adn. 1, 1355, 1400.

[3]) Secundum aetatem eos inductos esse Kock ad fr. 93 ex fine Plut. Per. III 3 concludit, sed dubium illius loci sensum esse in exitu huius § exponam.

[4]) Freeman-Lupus, G. Siziliens II (1897) p. 203; Ed. Meyer, G. d. A. III (1901) p. 626.

[5]) Confer de inferorum cultu a Dinomenidarum gente exhibito Herod. VII 153 et Fr.-L. ibid. II p. 88/9, 105/6.

[6]) Fr.-L. ibid. II p. 187; Holm, G. Sic.s im A. I (1870) p. 211.

τάφον ἀξιόλογον ἐπιστήσας ἡρωικαῖς τιμαῖς ἐτίμησε τὸν Γέλωνα,[1]) et quanti etiam post Atheniensium bellum Syracusis aestimatus sit Gelon ut Carthaginiensium victor, cognoscimus ex Diod. XIII 94. 5.[2])

Sed postquam, quos ex Orco poeta arcessiverit, intelleximus, quaerimus, quomodo arcessiti sint, atque miror viros doctos hanc quaestionem omnino fere non tractasse neque ipsos, si recte intellego, sibi conscios sententiarum differentiae. Duobus enim modis mortuos in terram revocare licet apud veteres, aut enim aliquis ipse in Orcum descendit eumque, quem vult, reducit, aut sacrificiis et precibus mortui commoventur, ut ipsi ex Orco in terram redeant, agitur, ut brevis sim, aut de *καταβάσει* aut de *νεκυομαντείᾳ*. Neque utraque ratio abhorret a Graecorum quinti saeculi aut tragicorum aut comicorum opinionibus et sententiis. *Καταβάσεις* enim complures notae sunt ut ex fabulari historia ita ex poesi[3]), sive quis reducebatur, sive non, atque celeberrimum exemplum exhibet Aristophanes in Ranis, ubi ipse Dionysus descendit ad inferos, ut reducat Euripidem, sed reducit Aeschylum. *Νεκυομαντείας* vero notissimum eius aetatis exemplum est in Aeschyli Persis[4]), ubi chori carmine (*ψυχαγωγοὶ γόοι* v. 687) et Atossae sacrificiis Darei umbra ex Orco excitatur. Neque aliter in Homeri Odysseae libro *λ* res se habet, in quo ipso quoque *νεκυομαντείαν* magis quam *κατάβασιν* exponi cum E. Nordeno[5]) consentio.

Atque de illa plurimi viri docti in Demis cogitare videntur, et ii quoque, qui apertis verbis nil dicunt[6]). Pauci vero hoc modo sive per Mercurium[7]), id quod opus non esse contra G. Hermannum (p. 292) recte docet Kock ad fr. 93 commonens de Aristophanis Ranis, sive per vivum eius temporis Atheniensem[8]) reductos esse censent quattuor

---

[1]) Hiero mortuus ipse quoque cultus est, sed Aetnae, non Syracusis, qua de re Fr.-L. II p 263, 280.

[2]) Fr.-L. ibid. III p. 488/9.

[3]) Collegit *καταβάσεις* comicas E. Rohde, Psyche I[2] p. 315.

[4]) Inveniuntur exempla ibid. II[2] p. 87 adn. 1; Norden, Vergils Aeneis Buch VI (1903) p. 41; Preller-Robert, Griech. Mythol. I (1887) 1 p. 406 adn. 4, I (1894) 2 p. 810 adn. 1.

[5]) l. l. p. 196 adn. 1.

[6]) Meineke, qui I 127 censet secutum Eupolin Cratini Chirones (cf. enim II 151). Aperte Bergk p. 239/40, Kock Rh. M. XXXIX (1884) p. 135, CAF III (1888) p. 717 Eupolin Aeschyli Persas secutum ratus, item Kaibel, qui censet Eupolin secutum esse Cratini Chirones, Cratinum Aeschyli Persas.

[7]) Sic G. Hermann p. 292 *ἤγαγες* in fr. 93 Mercurio dictum ratus *ψυχοπομπῷ*, secuntur Meineke ad fr. V et Gilbert p. 224.

[8]) Haec videtur Kockii sententia esse ad fr. 93, quam locis modo citatis tacite mutavit. Aperte Blass (Plut.s ausgewählte Biogr., ed. Siefert et Blass, III [2]1883) ad Plut. Per. III 3: ‚Myronides unternimmt eine Fahrt in den Hades und holt die alten Heroen Athens wieder herauf'. Fuhr (Ausgew. Biogr. d. Plut., ed. Sintenis, III [4]1883) ipse quoque ad Myronidem vocem *ἤγαγες* referens non dicit, utrum de *καταβάσει* an de *νεκυομαντείᾳ* cogitet.

illos viros proprio verbi reducendi sensu. Equidem aperte fateor me quaestionem diiudicare non posse[1]), nam primum verba *ανάγειν* et *ἄγειν*, quae leguntur apud Platonium l. l. et Plutarchum Per. III 3, et proprio et translato sensu accipere licet; ut enim de vera reductione legimus *ἀνάγειν* in Aristoph. Ran. 77, ita posteris temporibus *ἀνάγειν* ut artis vocabulum de *νεκυομαντείᾳ* usurpatum est, velut conferas Lucian. Philops. 13 vel vit. Demonact. 25. Tum verba *ἐποίησεν ἀνεστῶτας* (Aristid. II p. 300), *ὡς ἀνεστῶτα ὁρῶντες* (ibid. p. 342), *ἐποίησεν ἀναστάντα* (schol. Aristid. III p. 672), *τῶν ἀναβεβηκότων ἐξ Ἅιδου δημαγωγῶν* (Plut. Per. III) nil nos docent. Tum ne ex fragmentis quidem certi quicquam concludi potest, venit vero maxime in censum fr. 123 atque disputanda mihi est Wilamowitzii (p. 179 adn. 84) sententia, quam nisus hoc scholio in Aristoph. Ach. 61 profert. Ita enim interpretatur verba *εἰςάγει τὸν Πεισίστρατον βασιλέα,* ut dicat Pisistrati partes in hac fabula fuisse, id quod iam censuerant Dénis p. 183 adn. 1 et Brandes, quorum ille adicit se eius partes in Demis explicare non posse. Sed inde profectus acute Wilamowitz sic argumentatur: Quattuor ex Orco reductos esse viros, in quibus Pisistratus non fuerit, qui si tamen ut rex inductus fuerit, fabulam partim in terra partim in Orco collocatam fuisse a poeta, ubi reges sceptro facile cognosci possint. Quae si ita sint, ne Myronidem aut Niciam quidem vivum inductum esse opus esse. Statim sequitur, si recto talo stat Wilamowitzii scholii explicatio, per *κατάβασιν* reductos esse quattuor illos, multos enim ita praeterea diu mortuos etiam loquentes inducere poeta potuit in iis fabulae partibus, quas collocaverat in Orco. Gravissimae vero dubitationes oriuntur de interpretando Acharnensium illo scholio. Ac primum quidem discrepat scripta memoria, agitur enim de differentia vocabulorum *βασιλεύς* et *τύραννος* et sic legimus in codice Laurentiano: *χρῶνται δὲ ἀδιαφόρως ἔνιοι τοῖς ὀνόμασι. Ἱέρωνα μὲν γὰρ βασιλέα Πίνδαρος καλεῖ, τὸν Συρακουσίων τύραννον. Εὔπολις δὲ ἐν Δήμοις,* iam pergit Laurentianus: *εἰςφέρει τὸν Πεισίστρατον βασιλέα,* editio Aldina habet: *εἰςάγει τὸν Π. βασιλέα,* Suidas[2]): *Π. βασιλέα καλεῖ,* similiter scribit Ammonius *περὶ ὁμ. καὶ διαφ. λέξ.* p. 132/3 (ed. Valckenaer 1822): *ἔσθ' ὅτε καὶ τὸν τύραννον Βασιλέα ἔλεγον, ὡς Εὔπολις ἐπὶ τοῦ Πεισιστράτου.* Difficillimum est diiudicatu, quae sint genuina veteris scholiastae verba. Ut enim dici potest pro

[1]) Omnino nil concludi potest ex Aphthon. prog. apud Speng. Rh. Gr. II p. 44, 28, schol. Aphthon. prog. apud Walz. Rh. Gr. II p. 646, 15, Doxopatr. homil. in Aphthon. apud Walz. II p. 134.

[2]) Suidam scholiis Aristophaneis passim usum plurimum valere ad ea restituenda et codicibus Aristophaneis si non potiorem, at certe parem iudicandum exponit Zacher, Die Hdschrftn. u. Classen der Aristoph. schol. = J. f. cl. Ph. S. XVI 1888 p. 564 sq., item Philol. Suppl. VII 1899 p. 460 adn. 7.

εἰςάγει vel εἰςφέρει Suidam scripsisse καλεῖ, cum de notione solum vocabulorum βασιλεύς et τύραννος ageretur (omisit nomen quoque comoediae), ita differentia explicatur, si opinamur pro καλεῖ genuino, ut vitaretur duplex καλεῖ, εἰςάγει vel εἰςφέρει scriptum esse, accedit quod hic ad accusativum βασιλέα desiderari videtur vocula ὡς, qua opus non est, si scribitur καλεῖ. Simillimum enim locum inveni in scholiis Lucianeis p. 181, 8 (ed. Rabe 1906): ὁ δὲ Εὐρύβατος ὡς πονηρὸς καὶ πανοῦργος, πρὸς δὲ καὶ προδότης εἰςάγεται Ἀριστοφάνει τῷ κωμικῷ καὶ Δημοσθένει τῷ ῥήτορι (XVIII 24)[1]. Sed ex hoc scholio Lucianeo id quoque sequi videtur, etiamsi dubitari non posset, quin εἰςάγει scribendum sit, tamen quaestionem nondum diiudicatam esse de fabulae scaena. Nam veri est simillimum iure viros doctos haec rettulisse ad Aristophanis Daedali fr. 184[2]), qua in fabula non Eurybatus inductus, sed solum Iuppiter ipse Ledam prodens et decipiens cum Eurybato comparatus videtur esse, traditum enim est fragmentum:

ἤδη τις εἶδεν Εὐρύβατον Δία;

Accedit autem, quod Demosthenes orator fuit, non scaenicus poeta. Videtur igitur εἰςάγειν usurpari de sola quoque commemoratione. Item Meineke[3]) de hoc verbo iudicavit, ita enim scholium depravatum in Aristoph. Lys. 397 emendat: Δημόστρατος Βουζύγης ἐλέγετο. ὃν Χολοζύγην εἶπεν διὰ τὸ μελαγχολᾶν. Εὔπολις δὲ ἐν Δήμοις ὡς μανιώδη αὐτὸν εἰςάγει (pro codicis Leidensis αὐτὸς λέγει)·

‚τί κέκραγας ὥςπερ Βουζύγης ἀδικούμενος;'

Ergo adhuc sub iudice list est.

Sed nunc quaerimus, quos induxerit poeta e vivis, et putaverunt omnes in universum viri docti eos esse Niciam et Myronidem. Sed de Nicia nunc exponit Kaibel eos errasse deceptos Galeni loco, quem sic editio Kuehniana (Med. Graec. op., tom. V, 1823, p. 38) exhibet: ταῦτα καὶ ὁ Εὔπολις ἐρωτώμενον Ἀριστείδην τὸν δίκαιον ὑπὸ τοῦ Νικία, ὡς ἐγένου δίκαιος, οὕτω εὐπρεπῶς ἀποκρινάμενον ἐποίησεν itemque (sed scribunt cum Laurentiano ἀποκρινόμενον) Meineke et Kock fr. 91 afferunt. Neque solum inde complura de fabulae tempore colligere (cf. § 2), sed etiam Niciae partes accuratius exponere viri docti conati sunt. Ut Bothe p. 161, Kock ad fr. 91, Brandes p. 26/7, Dénis p. 183 suspicantur eum ipsum quattuor illos

---

[1]) Non contra me proferri possunt schol. Aristoph. Pac. 246, Pac. 789, Plut. 423, in quibus verba εἰςάγειν, εἰςφέρειν, παρειςάγειν cum participiis iunguntur sine ὡς usurpata de personis in fabulis inductis.

[2]) Cf. tota de fabula et de illo fragmento Bergkium apud Meinekium II p. 1014/6 et in Commentat. p. 397/8 et Kockium I p. 435.

[3]) Muhl p. 28 ipse quoque de sola commemoratione cogitat, qui refert voces Pisistrati et regis ad Periclem, qui ipse ut amici cum illo comparabantur.

ex Orco resuscitasse atque argumentis suis hoc quoque addere poterant, quod Nicias fuit religiosissimus et plurimi fecit vaticinandi peritos (cf. Busolt, Gr. G. III2 p. 999 cum adn. 5).

Neque vero Niciae nomen omnino illo Galeni loco traditum esse nunc cognitum est. Legimus enim in nova Ioannis Marquardtii editione *περὶ ψυχῆς παθῶν* I 7, 38 (= Claud. Gal. Perg. script. min. I p. 29, 10, 1884), etsi editor iterum in textum recipit ,*ὑπὸ τοῦ Νικία*', in adnotatione: *ἡ το νητίας ὢν ἐγένου* L[1]). Codex igitur Laurentianus 74, 3, qui aut solus servavit hunc librum aut solus dignus est, qui adhibeatur, locum exhibet depravatum et Niciae nomen excogitatum est. Nihili ergo sunt omnia, quae nituntur falsa illa lectione, neque enim iam scimus, utrum Niciae partes in Demis fuerint necne. Solus Muhl p. 26/7, antequam Marquardtii editio promulgata est, offenderat in Galeni verbis ,*ὑπὸ τοῦ Νικία*', quod genetivus *Νικία* apud bonos sermonis Attici imitatores ut Galenum non inveniatur, sed quae praeterea exposuit, nihili sunt, neque enim Galenus Aristidis responsum affert ut viri iniuria non exacerbati, sed Eupolin exscribit, ut commemoret Aristidem existimare opus esse ad iustitiam et indole et exercitatione, ut se ipsum ad servandam in ferendis molestiis animi tranquillitatem.

Multo intricatior quam de Nicia quaestio est de Myronide, cuius in Demis partes fuisse constat ex fr. 98[2]), legimus enim apud Plutarchum vit. Per. XXIV 4 Eupolin ex illo quaerentem fecisse Periclem, num adhuc viveret filius spurius: *δοκεῖ δὲ καὶ τὸν νόθον ἐκ ταύτης τεκνῶσαι, περὶ οὗ πεποίηκεν Εὔπολις ἐν Δήμοις αὐτὸν μὲν οὕτως ἐρωτῶντα· ,ὁ νόθος δέ μοι ζῇ;' τὸν δὲ Μυρωνίδην ἀποκρινόμενον·*

,καὶ πάλαι γ' ἂν ἦν ἀνήρ,
εἰ μὴ τὸ τῆς πόρνης ὑπωρρώδει κακόν.'

Plurimi igitur viri docti censuerunt nisi e vivo Myronide Periclem id quaerere non potuisse vivumque eum inductum a poeta, cum Bergk p. 348[3]), Gilbert p. 224/5, denuo Wilamowitz p. 179 adn. 84 laudatus a Kaibelo id negarent. Atque uno eodemque argumento Gilbert, Wilamowitz, Kaibel nituntur, neque enim Myronidem etiam

[1]) Marquardtii lectionem citat Kock in supplementis, vol. III p. 717, iudicio abstinens. — A. Koerte, cui quam gratus sim, hoc quoque loco profiteor, haec ad me scripsit: ,Nach Mitteilung von Schöne lautet die Galenstelle in der einzigen (oder allein wertvollen?) Handschrift *καὶ Εὔπολις ἐρωτώμενον Ἀριστείδην τὸν δίκαιον ὑπὸ τοῦ ητονητίας ὢν ἐγένου δίκαιος οὕτω δ' ἀπρεπῶς ἀποκρινόμενον ἐποίησεν· ἡ μὲν φύσις κτέ*'.

[2]) Quomodo ex fr. 116 Kock I p. 279 aliquid de Myronide colligere velit, non intellego, cf. Brandes p. 26 adn. 1.

[3]) Quem et Solonem (p. 240) et Myronidem (p. 348) resuscitatos esse dicere equidem miror.

fabulae tempore vixisse, cum iam in pugna ad Plataeas commissa praetor (Plut. Aristid. XX) et paulo ante legatus (ibid. X) fuerit. Liceat mihi Wilamowitzii ipsa verba afferre: „auch dieser war längst tot, denn er war 480/79 bereits Gesandter gewesen (Plut. Aristid. X). Es ist wunderlich, daß er trotzdem dem Perikles über seinen lebenden Sohn Kunde bringt, aber die poetische Erfindung hat eine schrankenlose Freiheit; an den Grenzen des Menschenlebens zerren die verlegenen Philologen hier so vergeblich, wie bei Maecius Tarpa und Cascellius in der horazischen ars poetica".

Tamen equidem cum ceteris viris doctis ut Meinekio ad. fr. IX, Kockio I p. 279, Brandesio p. 26 concedendum censeo Myronidem 420/409, quibus annis viri docti fabulam adscribunt, vivere potuisse summa quidem in senectute. Collegit eos locos, qui pertinent ad Myronidis vitam, Kirchner, Prosop. Att. II p. 109 n. 10509, quem secutus breviter exponam, quae de eius aetate scimus: M. cum Cimone et Xanthippo Spartam legatus missus est aestate ineunte a. 479, *στρατηγὸς* fuit a. 479/8, interfuit pugnae ad Plataeas commissae autumno a. 479, *στρατηγὸς* fuit a. 458/7, proelio decertavit cum Corinthiis in Megaride Habrone archonte aestate a. 458, *στρατηγὸς* fuit a. 457/6, superavit Boeotios ad Oenophyta Mnesithide archonte autumno a. 457, ut videtur,[1]) qua pugna facta *πασῶν τῶν κατὰ τὴν Βοιωτίαν πόλεων ἐγκρατὴς ἐγένετο πλὴν Θηβῶν*. Adiciendum est anno 454 exercitui in Thessaliam invadenti eum praefectum fuisse (Busolt III 1 p. 333, E. Meyer III p. 609). Quare etiamsi Lipsium[2]) secuti non minus quam triginta annorum homines Athenis praetores creatos esse ponimus, Myronides anno 509 natus esse potest neque opus est eius aetatem extra vitae humanae fines extendere, ut liceat concedere eum anno 420 vel etiam 409 inter vivos fuisse[3]). Licet vero putare Myronidem non inductum fuisse ut eum, qui fabulae ipsius potissimum tempore versabatur aut in re publica aut in re militari, sed ut priscae fortitudinis et probitatis virum, quem praeter ceteros

---

[1]) Meier p. 142 sine ullo argumento in hac pugna Myronidem cecidisse vult.

[2]) Att. Recht II p. 274, Gr. Altert I[4] (1897) p. 378 et 435; L. addit: „wenn gleich bei solchen Ämtern, die durch Cheirotonie besetzt wurden, das Volk sich daran nicht binden mochte und bisweilen auch ganz wohl daran tat, wenn es sich nicht daran band" et confert Iphicratis exemplum, quem Iustinus VI 5 viginti annos natum praetorem creatum esse tradit. — Item iudicat Thumser, Lehrb. d. gr. Staatsalt. II[6] p. 608, 1892 = K. Fr. Herm.s Lehrb. d. gr. Alt. I 2.

[3]) Si quis existimat Lysistratae anno 411 datae versus 801/3 nisi de mortuo Myronide dici non posse, meam sententiam non refellit, nam anno 413 fabulam equidem infra adscribam. — Meineke ad fr. IX dicit eum initio belli Peloponnesiaci, in quo nullae eius partes fuerint, septuaginta fere annos natum in honesto otio senuisse. De annis, non de re dubitari potest. In fine p. 462 pro ‚Miltiade' ‚Cimone' per errorem scripsit.

pertaesum est illius aetatis praetorum adulescentium et impudicorum et ignavorum. Siquis vero dicat Myronidem tantam aetatem assequi non potuisse, quia inde ab anno 454 apud rerum scriptores nil de eo audiatur[1]), eum probare non possum, multa enim excogitari possunt, quibus commotus sit, ut se abdicaret omni magistratu.

Sed ut me demonstrasse spero temporum rationem non obstare, quin existimemus vixisse Myronidem comoediae tempore, ita iam supra Gilbertum improbavi, quod vult eum unum fuisse ex quattuor iis, quos ex Orco resuscitavit poeta, et affirmavi ex mortuo quoque Myronide Pericli quaerere licuisse, num viveret filius. Sed quomodo hoc fieri potuit? Exscripsi supra ea Wilamowitzii verba, quibus provocat ad poeticam libertatem. Sed facillime haec difficultas tollitur, si fabulam paulo post Myronidis mortem datam idque ipsum tempus a poeta quasi in scaena depictum ponimus, quo advenit Myronides ad inferos.

Recte iam diu cognitum est, qua de causa Myronides seu vivus seu mortuus ab Eupolide induci potuerit, fuit enim ille Boeotiorum[2]) apud Oenophyta victor praeclarissimus et Atheniensibus belli Peloponnesiaci temporibus exemplum fuit veteris probitatis et fortitudinis. Legimus enim in Aristoph. Eccl. 304 (Meinek.):

ἀλλ᾽ οὐχί, Μυρωνίδης
ὅτ᾽ ἦρχεν ὁ γεννάδας,
οὐδεὶς ἂν ἐτόλμα
τὰ τῆς πόλεως διοι-
κεῖν ἀργύριον φέρων,

et ipsis iis temporibus, quibus Demi attribuenda est, in Lysistr. (a. 411) 801 (Meinek.):

καὶ Μυρωνίδης γὰρ ἦν
τραχὺς ἐντεῦθεν μελάμπυ-
γός τε τοῖς ἐχθροῖς ἅπασιν,
ὣς δὲ καὶ Φορμίων.

---

[1]) Videtur in iis esse Ed. Meyer, G. d. A. III p. 614 et recte Muhl p. 28 adn. 2 reicit Adolfi Schmidtii sententiam (D. perikl. Ztalt. I 1877, p. 69), qui existimat Myronidem tribus annis post illam pugnam mortuum esse 54 annos (?) natum, quia iam non commemoretur, et recte commonet de fontium inopia. — Ne Suevernum quidem (Ü. Ar. Wolk. 1826 p. 51) sequi opus est, qui iam diu Myronidem mortuum fuisse ratus existimat introductum esse non veterem illum, sed virum, cui eius nomen datum sit.

[2]) Non Lacedaemoniorum, id quod dicunt Meineke (ad. fr. IX) et Kock (ad fr. 98), quos recte vituperat Brandes p. 26. — Meineke l. l. pugnam attribuit Ol. 83/3, quod vitium retinet Bothe, sese ipse corrigit vol. V p. 36 (Ol. 80/3), sed Kock l. l. retinuit Meinekii errorem.

Apud Diodorum ipsum quoque laudatur XI 81, 5: *ὁ δὲ Μ., συνετὸς ὢν ἅμα καὶ δραστικὸς στρατηγός* et 79, 3: *Μ., ἀνὴρ ἐπ' ἀρετῇ θαυμαζόμενος*, proelii vero illius gloria exponitur 82, 1/4 et 82, 4 de Myronide dicitur: *Μ. μὲν οὖν ἐπιφανεῖ μάχῃ νικήσας τοὺς Βοιωτοὺς ἐνάμιλλος ἐγενήθη τοῖς πρὸ αὐτοῦ γενομένοις ἡγεμόσιν ἐπιφανεστάτοις, Θεμιστοκλεῖ καὶ Μιλτιάδῃ καὶ Κίμωνι* et 83, 4: *ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ μεγάλας πράξεις ἐπιτελεσάμενος περιβόητον ἔσχε τὴν δόξαν παρὰ τοῖς πολίταις.* Thucydides quoque IV 95, 3 laudat Myronidis memoriam.

Non mihi videtur silentio praetereunda haec quaestio: Quamquam desideramus bonam Plutarchi editionem, hoc ex Fuhrianae editionis (Ausgew. Bgrphn. d. Plutarch, vol. III [4]1880, p. 147) appendice critica colligi posse existimo *Μυρωνίδην* in codice C (Parisin. 1673) solo legi, in ceteris omnibus, qui usque ad id tempus collati erant, *Πυρωνίδην*, ut in A (Parisin. 1671) et St (Seitenstett.). Velim conferas de codicibus a Sintenisio adhibitis, quibus addidit lectiones codicis Seitenstettensis ipse Fuhr, et de stemmate librorum manu scriptorum K. Zieglerum, D. Überlfgesch. d. vgl. Lbnsbeschr. Plutarchs 1907 p. 85. Cuius ex verbis hoc facile intelleges vetustissimam esse scripturam *Πυρωνίδην*. Ne vero me reprehendas, quod servaverim *Γέλωνα*, cum tamen corrigam contra Meierum p. 141/2 retinentem *Πυρωνίδην* in *Μυρωνίδην*, quamquam simillime res se habeat hic atque ibi, quoniam utroque loco consentiant codices et *Σόλωνα* item ut *Μυρωνίδην* recentis coniectura librarii sit, en habes argumenta, quibus adductus censeo hic mutandum esse *Πυρωνίδην* in *Μυρωνίδην*. Ac primum quidem *ΜΥΡ*... in *ΠΥΡ*... ut depravaretur, facillime accidere potuit et propter verborum similitudinem et quod vix scribae nomen Myronidis notum fuit. Tum *Πυρωνίδης* in Kirchneri prosopographia Attica non invenitur neque nomen Atticum omnino fuisse videtur, cum Myronidem temporibus belli Peloponnesiaci celebratum fuisse ut virum priscae probitatis et fortitudinis iam supra exposuerim cognosci ex Lysistrata anno 411 data.

De ordine quoque, quo reduces fecerit poeta quattuor illos viros, pauca mihi addenda sunt. Atque apud G. Hermannum p. 292 lego Raspium p. 39 ex Plutarchi Per. III = fr. 93, ubi legitur: *ὁ δ' Εὔπολις ἐν τοῖς Δήμοις πυνθανόμενος περὶ ἑκάστου τῶν ἀναβεβηκότων ἐξ Ἅιδου δημαγωγῶν, ὡς ὁ Περικλῆς ὠνομάσθη τελευταῖος*, collegisse non simul, sed deinceps alium post alium eos in scaenam prodisse atque ultimum Periclem, eumque secutus est Kock ad fr. 93. Ad haec Hermann ipse dicit id credibile quidem esse neque vero sequi ex verbis Plutarchi, ex quibus potius apertum sit omnes iam ex inferis advenisse et nunc quaerenti, qui sint, ordine nominari, sic ut postremus nominetur Pericles. Equidem Raspio assentior, sed alio argumento nisus, admodum enim obscure Plutarchus

loquitur, ut non clare perspiciamus illam scaenam, de qua agit.[1] Sed trium actorum numero certo deinceps alium post alium inducere poeta coactus est neque quattuor simul in scaena relinquere.

§ 2.

Quo tempore et quo consilio fabula data sit.

Venio nunc ad quaestionem intricatam illam, quae est de Demorum actionis anno, quam tractaverunt viri docti diversissima proferentes. Atque in duo genera sententiae seiungi possunt, censent enim alteri post calamitatem Siciliensem vel non ante annum 412 fabulam collocandam esse, alteri actam esse antea.

Huius auctor est sententiae Meineke, qui primus fr. 91 ad Demos recte rettulit et inde collegit (II 1 p. 455), quoniam magnae Niciae in fabula partes fuissent, comoediam non post eius mortem i. e. non post 413 datam esse, tum autem ne absente quidem Nicia vel non post 415. Eum prorsus secuntur Bothe p. 161 et Kock I p. 279. Atque alii a priore illo vel altero quoque Meinekiano argumento profecti etiam artius circumscribere conati sunt Demorum annum. Ut Ed. Meyer (G. d. A. IV p. 432, 523) anno fere 414 fabulam attribuit, quoniam poetam existimat castigare nefarios istos praetores, ut Pisandrum et Androclem et Laespodiam, qui Alcibiade e patria eiecto potentiam arripuerint. Bergk (Gr. Lt.gesch. IV 1887 p. 68/9), qui commonet ipse quoque Laespodiam, qui tum ipsum in Peloponnesum profectus sit, ut praetorem commemoratum esse, ex omni hiemis 414/3 rei publicae Atheniensium statu ipsorumque animorum maerore colligit anno 413 fabulam doctam esse, advenisse enim hieme illas Niciae litteras alterum exercitum flagitantis, quibus nemo, quantum immineret periculum, iam intellegere non potuerit. Nisi tum, cum deleta esset civium in praetores fiducia, male evenissent res Sicilienses, novum cum Lacedaemoniis, quibus auxilium ferret Alcibiades, immineret bellum, poetae in mentem venire non potuisse eiusmodi fabulae argumentum. Alterum quoque Meinekii argumentum amplectuntur Brandes, Gilbert, Zelle. Brandes enim p. 22 sqq. non post 415 fabulam doctam ratus anno 418 Demos adsignat, cum non modo compluribus locis ad Alcibiadis praeturam anni 419/18 poetam spectare (fr. 100, 101, 121), sed etiam illius magnas in fabula ipsa partes (fr. 109) fuisse existimet. Quod ex fr. 102 colligit praeterea Laespodiam et Damasiam ipsos quoque ab Eupolide inductos esse, recte hoc opus non esse monent Kock ad fr. 102 et Wilamowitz p. 180 adn. 84, qui translate accipiunt *ἀκολουθεῖν*

[1]) Fortasse, si fuit *νεκυομαντεία*, illud *ὀνομάζειν* pertinet ad evocandos mortuos, et nominatus tum fuit Pericles ultimus, ut resurgeret ex Orco.

et eum, qui loquitur, monstrare illos putant inter spectatores sedentes: cf. Weil quoque, Rev. crit. 1881 XII p. 295. G. Gilbert p. 222/4, in quo nititur magnam partem Brandes, ipse quoque cum Meinekio non post annum 415 Demos collocat et illa fragmenta (praeterea inc. fab. 310 K.) iam ad Alcibiadem rettulit, sed anno 419 fabulam adsignat, cum censeat p. 222 et 227 a Brandesio reprehensus (p. 23) Alcibiadem et Ol. 90/2 = 419/8 et Ol. 90/1 = 420/19 praetorem fuisse. Porro interpretationem suam, qua ad Alcibiadem comoediam refert, stabilire conatur eo, quod commonet in Baptis quoque Eupolin in eum invehi et etiam a Nicia in disputanda expeditione Siciliensi illi exprobrari iuventutem (Thuc. VI 12). Zelle p. 45/7 duo illa Meinekii argumenta amplexus latius tantum circumscribere audet fabulae tempus, actam enim esse inter annos 418/5,[1]) atque haec nova profert argumenta: cum Demostratus (fr. 96), quoniam de eo nil acceperimus nisi expeditionis Siciliensis summum auctorem eum fuisse, non per longum tempus apud populum multum valuisse videatur, Demos non multo ante 415 collocandam. Tum Laespodiam, Phaeacem, Cleocritum, Theagenem illis temporibus in omnium ore fuisse ex Aristophanis Avibus cognosci, denique quod plurimae fabulae Eupolideae, quarum nomina nobis tradita sint, ante annum 420 actae sint, annis vero 418/5 unam Baptas adscribere liceat, veri esse simillimum hanc quoque fabulam iisdem annis adscribendam. Suevern (Ü. Ar. Wo. 1826 p. 47 sqq.) quia censet Aristoph. Ran. v. 1431 ‚οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν‘ ab Eupolide in Demis dictum esse in iuvenem Alcibiadem,[2]) fabulam adsignat ei tempori, quo Alcibiades icto cum Lacedaemoniis foedere denuo bellum conflans foedus cum Argivis fecerit et ipse praetor ad iter in Peloponnesum faciendum creatus sit, atque idem spectare fr. 100 K., Ol. 89/4 vel 90/1 ergo Demos datam esse. Alcibiadis vero iuventutem ipsum Thucydidem (V 43) commemorare. Vix tam idoneum esse tempus Mercurii statuarum mutilationis et mysteriorum sceleris, quod tum iam tertium praetor profectus sit neque tam bene de eo dici possit ‚μειράκια βινούμενα‘, utique inter Pacem (421) et Aves (414) collocandam esse fabulam vel datam esse 420 aut 415 aut anno intra hos fines posito. Beloch (Gr. Gesch. I p. 474 adn. 1) argumentis non prolatis fabulam inter 420 et 417 collocat. M. Croiset (Aristophane et les partis à Athènes 1906, p. 189 adn. 4) fabulam argumentis non prolatis collocat inter 420 et 415 et censet compositam in novos praetores, Gilbertum errare, quod anno 419 assignet sine ullo argumento de Alcibiade agi cogitans. Summam fabulae incertam esse. Priusquam accedam ad exponendas eorum sen-

---

[1]) In tabulis p. 58 et 60 legitur 418/5, p. 47 per errorem, ut mihi videtur, 419/5.

[2]) Wilamowitz p. 180/1 adn. item de v. 1432 ‚μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ’ν πόλει τρέφειν‘ iudicat.

tentias, qui post annum 413 fabulam collocant, commemorandum mihi est in Busoltii ‚Griechische Geschichte' errorem irrepsisse, quod III 2, p. 597 Wilamowitzium laudans dicit: ‚wohl erst nach der sicilischen Expedition aufgeführt', III 2 p. 1224 adn. 4 Zellium laudans: ‚Die Aufführung des Stücks fällt zwischen 419 und 415, näher läßt sich die Zeit nicht bestimmen'.

Sed Meineke I p. 129, priusquam illud argumentum ex Niciae vita haustum sibi invenisse visus est, post cladem Siciliensem anno 412 Demos actam existimavit, primum quod Demostratus reprehendatur, qui suasor exstiterit expeditionis Siciliensis, tum quod Laespodias praetor fuerit Ol. 91/3 = 414/3 (Thuc. VI 105). Runkel p. 112/3 eidem anno 412 fabulam assignat, quod propter fr. 97 ad Demostratum spectans (— item Couat p. 138 —) et 102 ad Laespodiam pertinens ante Ol. 91/3 = 414/3 scribi non potuerit et Cleocritus archon eponymus Ol. 91/4 = 413/2 fuerit, quem eundem existimet atque eum, qui fr. 124 ab Eupolide commemoretur. Muhl (p. 26, 28, 30/1), qui Niciae nomen in fr. 91 non agnoscens Meinekianam illam rationem sequi coactus non est, in statuendo actionis tempore proficiscitur ex toto rei publicae statu et comparatis *Πόλεσιν*, cum ibi (fr. 205) *εὐτυχής* civitas appelletur, hic res male vertisse ex compluribus fragmentis appareat, post cladem Siciliensem fabulam actam censet. Eos autem, qui tum in re publica versari dicantur, omnes in ultima demum parte belli Peloponnesiaci innotuisse neque ea, quae iam dudum, sed quae paulo ante acciderint, castigari a comicis. Denique cum rem publicam egere viris poeta queratur, postquam clades Siciliensis accepta sit et priusquam Alcibiades denuo accesserit ad rem publicam Atheniensium, fabulam collocandam esse, i. e. Ol. 92/1 = 412/411 vel Ol. 92/2 = 411/410. Raspe laudatus a Fr. V. Fritzschio (Acta soc. Graec., vol. I, Lips. 1836, p. 154) proximo tempore post cladem Siciliensem Demos actam censet, magnis Dionysiis Ol. 92/1 = 411. Meier (Allg. Ltrtrztg. 1827, vol. II p. 142) quia fragmentum 101 ad Theramenem refert, fabulam anno 409 assignat, nullo certo argumento nisus, ut recte iudicat Kock (I p. 279 et ad fr. 101). Wilamowitz p. 179 adn. 84 post Niciae mortem vel post 413 fabulam collocat, primum enim complures scaenas apud inferos fuisse ratus negat opus esse vivum Niciam inductum fuisse, tum Demostratum non nisi deleto exercitu in Siciliam misso *ἀλιτήριον* appellari potuisse neque omnino antea quemquam cogitasse auxilio alio atque humano opus esse Atheniensibus, tum Periclis filium illam reprehensionem (fr. 98) non prius meruisse. Kaibel reiecta falsa Galeni lectione ipse quoque post cladem Siciliensem demum mortuos poetam resuscitare potuisse existimat.

Sed examinemus, quae protulerunt viri docti. Ac primum quidem Meinekii illa sententia a Nicia profecta, quam Muhl p. 26 iam im-

probaverat, concidit, postquam cognitum est Niciae nomen non apud Galenum legi. Falso igitur argumento nituntur hi quoque: Bothe, Kock, Bergk, Brandes, Gilbert, Zelle.

Tum a nemine demonstratum est ad Alcibiadem spectare comicum. Omnia, quae de illo acceperunt Brandes, Gilbert, Suevern, partim incerta sunt, sintne attribuenda Demis, partim in multos cadere potuerunt, id quod iam Zelle p. 47 et M. Croiset (Aristoph. et les partis p. 189 adn. 4) recte intellexerunt.

Atque hoc quidem difficillimum est ex singulis quibusdam nominibus, quae in fabula commemorata fuisse traditum est, certi quicquam concludere de tempore, etsi Siciliensis fere expeditionis annis propter Demostratum, Laespodiam, alios libenter fabulam attribuamus. Fragmentum 117, ex quo fortasse proficisci poterat argumentatio, metri solo incerto vinculo cum Demis iungi recte monet Wilamowitz p. 180 adn. 84. Quare videntur vix plura certo dici posse de Demis, quam actam esse propter fr. 98 post Periclis patris (429)[1]) et ante Periclis filii spurii (406) et ipsius poetae (411) mortem[2]), veri autem esse simile attribuendam comoediam annis fere Siciliensis expeditionis.

Sed unum omnes, quod intellegam, viri docti neglexerunt proferre argumentum, quo statim artius circumscribi potest temporis spatium, cui assignanda est fabula. Excerpserunt enim omnes fr. 90 ex [Longini] libello de sublimitate XVI 3: *καίτοι παρὰ τῷ Εὐπόλιδι τοῦ ὅρκου τὸ σπέρμα φασὶν εὑρῆσθαι·*

οὐ γὰρ μὰ τὴν Μαραθῶνι τὴν ἐμὴν μάχην
χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλγυνεῖ κέαρ,

neque vero rationem habuerunt totius nexus sententiarum, quibus iniectum est. Loquitur (XVI 2) scriptor de schemate *ὀμοτικῷ* et exempli causa affert Demosth. de coron. 208: *μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας,* originem (3) vero huius schematis pergit exponere esse apud Eupolin loco supra exscripto. At non quovis modo iurare magnum esse, sed rationem habendam esse et rerum et temporum: *ἔστι δ' οὐ τὸ ὁπωσοῦν τινὰ ὀμόσαι μέγα, τὸ δὲ ποῦ καὶ πῶς καὶ ἐφ' ὧν καιρῶν καὶ τίνος ἕνεκα. ἀλλ' ἐκεῖ* (in Demis) *μὲν οὐδέν ἐστ' εἰ μὴ ὅρκος, καὶ πρὸς εὐτυχοῦντας ἔτι καὶ οὐ δεομένους παρηγορίας τοὺς Ἀθηναίους· . . . παρὰ δὲ τῷ Δημοσθένει πεπραγμάτευται πρὸς ἡττημένους ὁ ὅρκος, ὡς μὴ Χαιρώνειαν ἔτ' Ἀθηναίοις ἀτύχημα φαίνεσθαι.* Fuit ergo, cum Demi docta est, rei publicae universus status contrarius ii, qui fuit post cladem ad Chaeroneam acceptam. Neque

---

[1]) Hoc anno primum fabulam eum docuisse legimus apud anon. de com. p. 8, 37 (Kaib. CGF I 1, 1899).

[2]) Cf. Christ, Gr. Litgesch. [4]1905 p. 296. Eupolis si 411 mortuus est, concidunt partim Muhlii, tota Meieri sententia.

igitur post gravissimam illam anni 413 cladem Siciliensem Demos scriptam esse certo concludi potest.

Sed ut non post 413 agi potuit fabula, ita ne ante 414 quidem nunc scimus, postquam Gelonis nomen restituimus. Neque enim potuit a comico Attico induci ille Syracusanorum rex nisi ipsis belli Siciliensis annis. Atque recto talo stare nostram argumentationem praeferendumque esse annum 413[1]), sequi mihi videtur, si consideramus, qualis totus rei publicae Atheniensium status hieme 414/3 fuerit. Recte iam quaesivit Wilamowitz, quando omnino comico poetae in mentem venire potuisset resuscitare ex Orco veteres principes. Neque vero iam Wilamowitzium sequi possumus, quod dicit: ‚und vor 413 (i. e. ante cladem) hat wohl schwerlich jemand gemeint, daß Athen übermenschlicher Hilfe zu seiner Rettung bedürfte‘, sed si collocamus fabulam in initio anni 413, habemus id tempus, quo primum Athenienses intellexerunt magnitudinem periculi, in quo versabatur civitas; atque ita consentio cum Bergkio, cuius sententiam supra exposui, neque vero eodem argumento a Niciae morte tracto adductus atque ille. Advenerant igitur brevi ante Niciae litterae illae, quibus damna et pericula nuntiabat et summas opes denuo flagitabat.

Restat, ut examinemus, num omnia fragmenta cum illo anno consentiant.

Ac primum quidem in fr. 96 et 97 de Buzyga poeta loquitur et in priore quidem dicitur optimus tum orator esse per irrisionem. Quem Demostratum esse et ex novo Aristidis scholio[2]) et ex Aristoph. Lys. v. 391/7[3]) scimus, castigatur enim eo loco *ὁ θεοῖσιν ἐχθρὸς καὶ μιαρὸς Χολοζύγης*, quia magnae eius partes fuerint in commendanda expeditione Siciliensi, cum Adonia maximo cum ululatu celebrarint mulieres. Explicatur vero illud *Χολοζύγης* ad v. 397 a

---

[1]) Fortasse annus 414 propterea quoque minus commendatur, quod, etsi Syracosii illa lege non omnino vetitus erat quisquam nominatim irrideri, sed ei solum, qui Hermocopidarum, quos vocant, sceleris participes fuerant (nominantur enim complures eius temporis Athenienses in illius anni fabulis), vel nescioquo modo libertas comica circumscripta erat, tamen comici illo anno argumenta sibi elegisse videntur, quae minus pertinebant ad rem publicam, cf. enim Luebke, Obs. crit. in histor. vet. Grcrm. comoediae, diss. Berol. 1883.

[2]) Aelii Aristidis complures scholiastas errasse ad vol. II p. 174/5 (Ddf.), qui vol. III p. 473,11 fragmenti 96 verba non per irrisionem accipiunt et ad Periclem referunt, qui Buzyges sit ex patre, *ἀλιτήριος* ex matre ea gente orta, quae scelus Cylonium commiserat, iam recte intellexerunt viri docti. Patet enim ex toto sententiarum nexu haec non dici de Pericle, Demostratum vero eum esse cognoscimus ex Aristoph. Lys. 397 cum schol. — Post Dindorfium Wilamowitz Herm. XIV 1879 p. 183 novum scholium in locum Aristideum edidit ex cod. Marcian. 453, quo Demostratus recte nominatur.

[3]) Explicantur Aristophanis verba schol. in v. 388; cf. praeterea Plut. Nic. XII, XIII, Alc. XVIII, Thuc. VI 25/6.

scholiasta sic (Stein 1897): *Δημόστρατος Βουζύγης ἐλέγετο, ὅν Χολοζύγην εἶπε διὰ τὸ μελαγχολᾶν. καὶ Εὔπολις δὲ ἐν Δήμοις ὡς μανιώδη αὐτὸν εἰςάγει ‚τί κέκραγας ὥςπερ Βουζύγης ἀδικούμενος;‘ καὶ ἄλλοι*[1]). Plura hac de re invenies apud Busoltium (Gr. Gesch. III2, p. 1282/3 cum adn. 3). Apparet Demostratum ita vexari potuisse paucis mensibus postquam eae litterae Athenas advenerunt, quibus, quantum esset periculum, cives certiores facti sunt. Raspe (p. 56)[2]) ad scelus Cylonium vocem *ἀλιτήριος* de Demostrato refert sine ullo certo argumento, Wilamowitz quod dicit nisi post cladem Siciliensem anno 413 acceptam intellegi non posse paulo plura ex ea voce elicere vult quam insunt.

Ad fr. 98 conferri possunt, quae Busolt (Gr. G. III 1, p. 508/9 adn. 2) et Beloch (Gr. Gesch. I p. 474 adn. 1) exponunt de Periclis filii aetate, atque apparet, etsi inde nil certi de Demorum anno sequitur, quoniam verba *πάλαι* et *ἀνήρ* apud comicum poetam satis late intellegi possunt, tamen ne contra annum quidem 413 quicquam concludi posse.

Laespodias et Damasias fr. 102 commemorantur, atque de illo saepius audimus apud veteres scriptores, cum huius hoc solo loco fiat mentio (cf. Kirchner, Prosopogr. Att. I p. 205). Quae scimus de Laespodia, collegit Kirchner ibid. II p. 1, qui praetorem anni 415/4 eum fuisse ex Thuc. VI 105 concludit et commonet de Aristophanis Avium magnis Dionysiis anni 414 actae versibus 1567 sqq., quibus ridetur illius praetura:

οὗτος τί δρᾷς; ἐπ᾽ ἀριστέρ᾽ οὕτως ἀμπέχει;
οὐ μεταβαλεῖ θοἰμάτιον ὧδ᾽ ἐπὶ δεξιά;
τί ὦ κακόδαιμον; Λαισποδίας εἶ τὴν φύσιν;
ὦ δημοκρατία ποῖ προβιβᾷς ἡμᾶς ποτε,
εἰ τουτονὶ κεχειροτονήκασ᾽ οἱ θεοί;

Apparet eum ineunte anno 413 optime commemorari potuisse, sed etiam melius eius nomen in Demos quadrare, si Busolt (Gr. G. III 2, p. 1350/1 cum adn. 5) rectius anno 414/3 eius praeturam adsignat.

Hippocratis filii (fr. 103), qui commemorantur in Aristophanis quoque Nub. v. 1001 anno 423, saepius in vetere comoedia vexati videntur esse neque quicquam inde de tempore concludi potest.

Fragmentum vero 117, quod *ἀγῶνος* epirrhematis initium esse recte Zielinski (Gliederung d. altatt. Kom. p. 399) exponit, si recte attributum est huic fabulae, multum valeret ad fulciendam sententiam

---

[1]) *Φιλόστρατος* L[1], L[2] suprascr. *δημο* | *αὐτὸς λέγει* L, corr. Meineke FCG II 1 ad fr. XXXIV.

[2]) cuius sententiam novi ex Meinekio ad fr. VII.

meam.[1]) Conferas enim, quae Busolt (Gr. G. III 2 p. 1350/1) exponit de praetoribus in annum 414/3 creatis: ‚Die Demokratie siegte auf der ganzen Linie', atque in mentem tibi venient versus:

ἡμεῖς γὰρ οὐχ οὕτω τέως ᾠκοῦμεν οἱ γέροντες,
ἀλλ' ἦσαν ἡμῖν τῇ πόλει πρῶτον μὲν οἱ στρατηγοὶ
ἐκ τῶν μεγίστων οἰκιῶν, πλούτῳ γένει τε πρῶτοι,
οἷς ὥςπερεὶ θεοῖσιν ηὐχόμεσθα· καὶ γὰρ ἦσαν·
ὥςτ' ἀσφαλῶς ἐπράττομεν· νυνὶ δ', ὅταν τύχωμεν,
στρατευόμεσθ' αἱρούμενοι καθάρματα στρατηγούς.

Theogenes iste, quem secundum fr. 122 in Demis Eupolis commemoravit, in Avibus anni 414 fabula ipse quoque nominatur (822, 1127, 1295), plura de eo invenies apud Kirchnerum (Pr. A. I p. 436, n. 6703).

Cleocritus (fr. 124) quidam ipse quoque in Avibus (877) commemoratur, neque vero, num idem fuerit, diiudicaverim, conferas enim scholium in illum versum Aristophaneum et Kirchnerum (l. l. I p. 573, n. 8570). Hoc quoque commonendum est archonti eponymo anni 413/2 hoc nomen fuisse.

De Antimacho (fr. 125) nil aliunde scimus.

De Phormione (fr. 126), si recte iudicat scholiasta in Aristoph. Pac. 347, ipso quoque nil scimus, nisi post Solonem eum vixisse.

Phrynondas (fr. 127) quidam commemoratur in Aristoph. Thesmophoriazusis (a. 411) et in Amphiarao (a. 414).

Restat, ut de Pagorum consilio atque ingenio pauca addam. Atque ut complurium virorum doctorum sententiae falsa lectione *Νικία* ac tempore inde concluso nituntur, ita mea quoque sententia ex tempore supra invento maxime sequitur, apparet enim de gravissimis belli periculis tum timuisse Athenienses, cum bellum Siciliense gerebant, idque cum litterae Niciae illae advenerant. Quare, ut de optimo belli gerendi et fortasse praetorum creandorum[2]) genere edocerentur, puto Eupolin Atheniensibus reduxisse Miltiadem victorem Marathonium illum, Aristidem victorem Plataeensem, Periclem praetorem belli Peloponnesiaci summum atque legum latorem sapientissimum, et Gelon quoque optime huc quadrare videtur, fortasse enim minis et iactatione efficacius quam alii commovere potuit Athenienses, ut recte bellum pararent et fortes sibi assumerent animos,

---

[1]) Hic commemoro Gilbertum p. 223 adn. 4 recte intellexisse iis, qui ad Alcibiadem nobilissimo illum genere ortum complura fragmenta referunt, fr. 117 a Demis abiudicandum esse.

[2]) Similiter Bergk, Comm. p. 348; magis in universum Kock I p. 279: ‚ut consilio certe populum adflictum adiuvarent'.

nisi omnino desistere vellent bello. Atque optime sic explicari possunt fr. a 90, 91, 100, 116, (117 incertae originis), 118, 121. Num quid tribuendum sit Platonii verbis, qui de Eupolide inducente quattuor illos viros dicit: *δι᾽ αὐτῶν εἰςηγούμενος ἢ περὶ θέσεως νόμων ἢ καταλύσεως*, equidem diiudicare non audeo, sed fieri potest, ut per eos Eupolis legem, qua sperabat sanatum iri rem publicam, tulerit, vel ut eos fecerit suadentes, ut cives legem aliquam, de qua revera agebatur, aut ferrent aut abrogarent. Cum igitur *Πόλεις* ad Atheniensium sociorumque rationem spectasse constet, non accurate expositum, sed artificiose excogitatum est ambarum fabularum argumentum apud Meinekium (I p. 140), qui cum Raspio (p. 83) censet Eupolin in *Δήμοις* eas res tractasse, quae pertinent ad domesticam rei publicae disciplinam, in *Πόλεσι* vero exhortatum esse Athenienses, ne diutius avare crudeliterque in socios consulerent¹), vel ibi locutum esse quasi de ‚innere‘, hic de ‚äussere Politik‘, ut vernacule dicam. Fortasse licet hic commonere ipsorum pagorum rationis in re publica Atheniensium atque affero von Schoefferi (Ply.-Wiss. V 1, p. 27) verba: „Dementsprechend geschah auch die Aushebung der Flottenmannschaft und der Hopliten nach Demen; letzteres ist zwar nicht sicher bezeugt, folgt aber notwendig daraus, daß die Demoten beim Ausmarsch sich versammelten und im Felde in Reih und Glied nebeneinander fochten, endlich die körperlich Untauglichen an eigener Stelle einen Ersatzmann aus ihrem Demos senden durften . . . Den D. scheint auch ein gewisser Einfluß auf die *εἰςφορά*, die einzige direkte Besteuerung der Bürger, eingeräumt worden zu sein.“ Nimiae vero fortasse videatur sagacitatis affirmare, quia de rebus ipsis militaribus agebatur, chorum ex Demis compositum inductum esse, nam etiamsi de rebus militaribus non actum esset, sed de alia re, quae maxime pertinebat ad totum populum Atheniensium, apparet poetam potuisse inducere per chorum ex singulorum pagorum senibus compositum omnem quasi civitatem. Sed a pagis Demos nomen traxisse statim erit demonstrandum.

§ 3.

De fabulae titulo.

De titulo *Δῆμοι* quoque pauca disputanda mihi sunt. Putaverant semper viri docti fabulam nomen traxisse a choro ex Pagis Atticis composito, cum nuper von Wilamowitz p. 180 adn. laudatus a Kaibelo dubitavit, an non recta sit solita tituli explicatio ad similem titulum *Πόλεις* spectans. Interrogat enim: „Aber wie sollten diese anders vertreten werden als durch ihre Eponyme, Keramos und

¹) Sequitur eos Muhl p. 26.

Kephalos, Hekale und Leukonoe? Das geht kaum an". Offendit igitur, si recte eius verba intellego, quod difficultas oritur propter sexum heroum eponymorum, sunt enim partim viri partim feminae, et vix cogitari potest chorum ex personis utriusque sexus compositum fuisse. De choreutis, ita pergit, nil constare nisi repraesentasse eos totam *κλεινὴν πόλιν* (fr. 104)[1]) neque inde nimium concludendum esse, quoniam in omni comoedia non minus quam in tragoedia chorus paulatim partes susceperit poetae et universi populi. „So ist immer noch das nächstliegende, daß *Δῆμοι ὡς Ἀρχίλοχοι Κλεοβουλῖναι* die ‚Volkskomödie'[2]) bedeutet." Exposuit pauca de comoediarum titulis atque maxime de iis, qui pluralem exhibent, Bergk p. 130/2 et ita denique iudicat: ‚plerasque comoedias, quae numerum pluralem prae se ferant, si a paucis illis, quarum satis obscura et dubia est ratio, discesseris, a choro nomina accepisse.' In Archilochis ‚chorus ex personatis Archilochis, i. e. censoribus acerbissimis, videtur compositus fuisse',[3]) in Cleobulinis de aenigmatico fabularum genere agi videtur, cuius ‚antiquissimum exemplum habemus Cratini Cleobulinas, a Cleobulina Cleobuli Lindii filia ingeniosissima multorumque aenigmatum auctore celeberrima adpellatas, qua in fabula Cratinus mulierculārum coetum videtur exhibuisse aenigmatis multis modis ludentium'.[4]) Ex horum igitur titulorum analogia Demorum chorus cogitari non potest nisi compositus ex hominibus, qui personati Demi, qualem inducit Aristophanes in Equitibus, similes vel comites sunt. Spero me recte intellexisse Wilamowitzii vocem ‚Volkskomödie', quam ita eum acceptam velle existimo.

At id argumentum, quo adductus Wilamowitz negavit usitatam illam tituli explicationem, stare non potest, nam quamquam Wilamowitz recte primus omnium commonuit hic aliter rem se habere atque in *Πόλεσιν*, — illae enim civitates[5]) maximam partem vocabula feminina erant (*Τῆνος*, *Χίος*, *Κύζικος*), ut facile ipsae ut mulieres induci possent, pagi vero diversissimis utebantur nominibus ut *Ἀγκυλή*, *Ἄθμονον*, *Ἁλαί*, *Ἀνρίδαι*, *Ἀχαρναί*, *Ἀχερδοῦς*, *Μαραθών*, — tamen opus non est Atticae pagos repraesentatos fuisse per heroas et heroidas eponymos, ut nascatur illa nova difficultas, quam Wilamowitzio con-

---

[1]) Neque vero haec chori vel unius choreutae verba esse demonstrari potest, etsi veri est simile. Nonne potuit haec dicere Myronides vel alius Atheniensis, qui non erat choreuta?

[2]) Sic etiam Gr. Leseb. I Text (1902) p. 70.

[3]) Kock I p. 11; item Bergk p. 4/6, qui huius dicendi rationis exempla, quae non in fabularum titulis inveniuntur, collegit; similiter Meineke II 25, neque vero a choro nomen trahit.

[4]) Kock I p. 39 ex Meinekio I p. 277.

[5]) Busolt, Gr. G. III 1 p. 205 adn. 2, p. 206 adn. 2; C I A I (1873) indic. p. 226 sqq.

cedo, sed potuit poeta pro omnibus cuiusque pagi civibus loquentes facere singulos senes[1]) vel veste vel rebus, quas secum gerebant, differentes et insignes (cf. von Schoeffer, P.-Wiss. V 1, 30), ut facile esset et ad cognoscendum et ad dignoscendum, unde quisque esset. Atque de hac habitus differentia ut cogitemus, commovemur *Πόλεων* maxime analogia, ubi singulos choreutas rebus singularum civitatum propriis instructos esse scimus (cf. enim fr. 231, 232, 233 K. et Kockium I p. 314). Hoc iam Gilbert p. 224 recte intellexit, cui id quoque credo fortasse ut in Civitatibus hic quoque choreutam alium post alium intrasse, ut daretur facultas explicandarum personarum. Hi vero vocari potuerunt eo nomine substantivo masculini generis, quod a pago derivatur. En habemus pro *Κέραμος, Κέφαλος, Ἑκάλη, Λευκονόη*: *Κεραμεύς, Κεφαλεύς, Ἑκαλειεύς* (vel *Ἑκάλιος*), *Λευκονοεύς*. Postquam demonstrasse mihi videor potuisse ita poetam sine magnis difficultatibus componere chorum ex Demis, hoc dicendum est hanc sententiam et omnino commendari, quia Athenienses *Δῆμοι* hoc potissimum sensu accepisse apparet, et simili titulo *Πόλεις* probari quam maxime, quem ortum esse a choro ex civitatibus cum Atheniensibus foederatis vel ab iis subiectis composito docent ipsa fragmenta.

---

[1]) Meineke ad fr. XV huic sententiae contradicit, sed lectionem quandam reiciens. Recte Bothe p. 161 de senibus cogitat, similiter Bergk, Gr. Ltg. IV p. 68.

Vita.

Natus sum Martin Gerhard Thieme ante diem III. Idus Octobres anni 1883 in vico Bockendorf patre Martino, qui tum verbi divini ministerio ibi fungebatur, matre Iohanna, fidem profiteor evangelicam Lutheri. Mense Decembri anni 1887 parentes Lipsiam transmigraverunt, ubi pater per plus sedecim annos diaconi munere functus est ad aedem sacram sancti Petri, quem anni 1904 mense Aprili morte mihi ereptum vehementer doleo. Lipsiae primis eruditionis elementis imbutus anno 1894 scholae Nicolaitanae, quae etiam nunc floret Ottone Kaemmelo rectore, humanitatis studiis instituendus traditus sum. Hic cum multi et illustrissimi praeceptores de me optime meriti sunt tum Georg Berlit, qui non solum, ut quasi reviviscerent, interpretatus est Homerum maxime et Tacitum et Waltherum de Vogelweide, sed etiam artissimo vinculo, ut ita dicam, cum vita semper coniunxit scholam. Vere anni 1903 maturitatis testimonium adeptus Friburgum Brisgoviense me contuli et studiis iuridicis operam dedi. Domum reversus Lipsiensis almae matris civium numero adscriptus sum et per novem semenstria studiis philologis operam navavi, docuerunt me viri docti von Bahder, Barth, Bethe, Brugmann, M. Heinze, R. Heinze, Hofmann, Jeremias, Ihmels, Immisch, Jungmann, Koester, Lipsius, Marx, Sievers, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth (†), Wundt, per ter sex menses sodalis fui proseminarii philologi moderante Immischio, per idem tempus seminarii philologi moderantibus Bethio, R. Heinzio, Lipsio, Marxio, per duo semenstria proseminarii Germanici moderante Sieversio, per quattuor paedagogici moderante Jungmanno, per bis sex menses me admisit Studniczka ad exercitationes archaeologicas, per sex semenstria Brugmann ad exercitationes Indogermanicas, per sex menses Marx ad eas, quas habuit de re metrica. Quos praeceptores omnes, imprimis vero R. Heinzium et Immischium nec non Brugmannum Lipsiumque, qui numquam studia mea fovere desierunt, pio gratoque animo semper colam. Bethio quoque et Studniczkae, qui in hoc opere perficiendo me adiuverunt, gratias debitas ago.

